Ricardi Willeii

Poematum Liber.



AD

Gulielmum Bar. Burghleium
Auratum nobiliss. ordinis equitem
Sereniss. Reg. Consiliarium
ac Summum Angliæ
Quæstorem.

Richard, 2 Brayne 1600

LONDINI

Ex Bibliotheca Tottellina.

CIↃ. IↃ. LXXIII.

perl:

Gulielmo Cicelio Baroni illustrissimo.

NVMQVAM ego illorũ ingenia probaui, Ciceli præclarissime, quorum ea consuetudo et natura est, vt quidquid obiter, et quasi aliud agentes animo conceperint, illud statim in vulgus ædant; vel si quid sumpto spacio scribant, adeo lente id ac fastidiose commententur, vt perfecti ab ipsis commentarij, atquè suis numeris absoluti numquàm prodeant. Nam hi similiter, atquè illi, sese vitio labequè aspergunt, errant, hallucinantur. illi quidem laudis immaturæ atquè intempestiuæ gloriæ appetentes ea scripta sine iudicio, summa cũ ignominia, temere diuulgant, quæ vt domi recondita parum splendoris et claritatis attulissent, nihil certe dedecoris et infamiæ parerent: vel si qua leui prædicatione digna fuissent, illustriorem alioquin exspectatione sola opinionem de sese in animis hominum concitarent, quàm si typis darentur. Nescio enim quo pacto, quæ

ab alijs nuda fama et auditione celebrã tur, nos etiam illa aliquo in honore habeamus. quidquid autem penitus cogitatione assequimur, ac plane cognoscimus, illud aspernemur ac reijciamus. Alij vero nimia glorię cupiditate ducti, nominisq; celebrandi desiderio inflammati, plusquàm pro virili parte sibi metuunt, ne quod ipsi toto ingenio, industria, labore in arce Mineruæ collocarunt, inuidiose cæteri vituperent, in angulis atqué circulis irrideant. quare obnixe omnia faciunt, plus millies actum agunt, emendare, comere, polire numquám desinunt, nequè illi ipsi suis elucubrationibus tantopere dies atq; noctes elaboratis in aliquem numerũ deueniunt, nequè tantorum laborum fructus aliquis ad posteros promanat. immo vero etiam si quando fętus eiusmodi in lucem exeat, hoc magis vulgo ridiculi muris nomine censebitur, nisi si formæ pulchritudine, morum elegantia, magnitudine ingenij, pręstantia artis omnium ora atq; oculos in se conuertat. a quibus sane ornamentis omnibus quanquam iste carminum liber

non proxime abeſt, ac proinde a nonnullis, vt leuiſsime dicam, architectus nugarũ appellari debeam, tamen quia Comicus ille προβατίου βίον λέγει εἰ μὴ φανεῖται διατριβή τις τῷ βίῳ tot annos in re Poetica verſatus, atquè præſtantiſſimis in hoc genere artificibus apud exteras nationes conſuetudine iunctus, malui periculum de ingenio meo aliquod facere, quàm domi pecoris inſtar viuere. Et tamen ita cupidus gloriæ non ſum, vt ſi abſtruſius aliquod metri genus explicem, aut quempiam dicendi modũ non ita peruulgatum exemplo illuſtrem, aut nouum carmẽ aliquod ipſe reperiam, inaurata me dignum ſtatua putem; neq; tã remotus ab omni ſubmiſsione animi, ab humanitate alienus, a poetarum ſtudio ineruditus, vt ignorem poſſe quempiam non male viuere, qui lateat bene. At quæ mihi ſtudia in florentiſſimis toto orbe terrarũ academijs aliquid celebritatis pepererunt, eadem alijs adoleſcentibus tradita, quoniam quidem præcurſionem quandam ad virtutes conſequendas adhibent, con-

ſido etiam illis adiumento ad laudem fore. nam quum ætas hęc libidine ac voluptatibus inſigniter conflictari ſoleat, neque in regno voluptatis virtuti locus vllus relinquatur; ecquis ad laudem patebit aditus, niſi iam iam efferentes ſeſe cupiditates labor frangat, ac ſuauiſſima litterarū cognitione ſeſe paſcentes iuuenum animi voluptatum blandicijs auocentur? Eò ſcientię, quæ ad humanitatem pertinent, vniuerſæ quum vehementer conducant: tum vero ex Poeſi tanto maior oblectatio percipitur, quanto minus Acheleidum cantu ſeductus Orpheus, quanto Muſæ ab imperio veneris traduntur eſſe remotiores. Poeſin dico non vanam, ſed Chriſtianam, ingenuam, non fabulis plenam ac mendacijs, non flagitioſiſsimorum hominum ſceleribus refertam, ſed vitiorum expertē, ſed caſtam, ſed religioſam. ea quiſquis fruitur, neque laboris tœdium ſubterfugere volet, neque voluptatum capi illecebris poteſt. Quę igitur mihi præternauiganti Sirenum inſulam, hoc eſt ætatis meæ florem, id genus remedia contra
libidinum

libidinum furias comparaui, illa, proxime nunc terrram delatus vnam in arculam redegi omnia, quò liberaliter ac prolixe in cœteros insumātur, quę soli cite collegi, et anxie custodiui. Μυροθήκια centum isthic designator bonus conspiciet, plurima secundū aphorismos veterum confecta, nonnulla meopte ingenio elaborata, quædam sine arte confusa, ex arte perfecta cognoscet.
Hinc Parthenia, psalmos, odas, hymnos desumat, quisquis in solenni feriarum celebritate mentem ab inani atquè circumforaneo vulgi strepitu ad cultum pietatis reuocare studet. Cuius nimio lætitiæ gustu mens effertur, aut graui sensu doloris è sede quodam modo sua deiicitur, nunc Pæanes, Epigrammata, Encomia, nunc Solamina, choros, preces, Lachrymas, Elegias conficiat. Centones, figuras, carmina recurrentia ac Pollanaleptica misceat, cui tempus aequo longius videtur.
Quē opinio futuri boni aut mali commouet, illum Echo, dialogi, vota, Eclogæ, oua saltem atquè pira in officio continebunt. In cuius animo languor

ex morte amicorũ altius insidet, threnis, epitaphijs, elogijs, propellere illam satagat, alijs demum antidotis alias atq; alias animi ægritudines propulsare, nequè pertimenscendũ reor, ne vel otio torpeant illi adolescentes aut voluptatibus indulgeant, aut parẽtum diuitias temere profundant, qui morbis animi nascentibus talia, tam iucunda, tam præsentanea remedia statim comparant. Hisce tua studijs adolescentia, præclarissime Baro, informata, λυκίθοις instructa, quoniam ætatis tuæ florem a teterrimis vitijs ad maximas virtutes conseruauit, ἀκμὴν honoribus auxit, ac facile principem te in sapientissimo serenissimæ Reginæ consilio senatorem instituit, summum regni quæstorem effecit; Carminum hæc centum schemata, siue totidem contra otium adolescentiæ pestem antidota nomini tuo inscribere volui, eademquè opera testificari summam illam animi tui propensionem in Gulielmum fratrem, atquè amplissima in omnes liberalium doctrinarum professores merita, pro eo ac possim,

æternitati conſecrare. Quæſo a te atquè obſecro, vt perexiguum iſtud munus boni conſulas, quò mihi animos ad maiora addas, ac bonarum artium ſtudia, quæ a puero ſemper colui, in poſterum ipſi mihi efficias cariora. Vale. Londini. CIↃ. IↃ. LXXIII. xij. Kalend. Nouemb.

Amplitudinis tuae ſtudioſiſſ.

Ricardus Willeius.

Michael Vanegas Hispanus
Ricardo VVilleio Anglo.

Angelicam faciem tibi quòd natura, Ricarde,
Contulerit, quaero, pectus et angelicum?
Anglia te tellus pulcherrima iactat alumnum,
Ingeniiq; alis tu super astra volas.

G. BLAN. R. W. Suo.

Nec cito, nec sero diues tua vena recludit
Quas ea perlongo tempore fouit opes.
His opibus quia tu patulum ditaueris orbem,
Te cito, te sero gloria multa manet.
Namq; tuum nomen facili super aethera gressu
Fertur, posteritas cuncta probabit opus.

Priores Artium, et Populi Ciuitatis Perusiæ.


OFficium ſemper eſſe duximus proborũ, honeſtorũq; virorum, non ſolum aliorũ virtuti, et probitati petentibus debitum minime denegare teſtimonium; verum etiam vltro, cum ita res ipſa poſtulet libentiſſime tribuere. Itaq; ſcientibus nobis honeſtiſſimum virum dilectum noſtrum Magiſtrum Ricardum Willeium Anglũ, Artium, ac Philoſophiæ Magiſtrum, et humaniorum litterarũ, atq; Rhetorices in Academia noſtra profeſſorem in pa-

triam

triam discedere statuisse. Placuit in gratiam Perusinæ iuuentutis, de qua ipse per annos aliquot est optime meritus, et pro nostro in optimum atq; eruditissimum iuuenẽ summo amore ac beneuolẽtia, omnibus præsentes nostras intuentibus grauiter testari ipsum libera voluntate proficisci, eumq; esse qui in florẽtissimis bonarum Artium Emporijs cum laude versetur. In quorum fidẽ. Datũ Perusiæ in ædibus nostris. iv. No. Iun. M.D.LXXII.

Subsig.

Sanctes Pell. Canc.


HONI SOIT QVI MAL Y PENSE
CORVNVM. VIA VNA.

¶ Præclarissimo similiter atque ornatissimo Baroni

Gulielmo Cicelio B. Burghleio Aurato nobiliss. ord. equiti Sereniss. Reg. Consiliario ac Summo Angliæ Quaestori

R. W. Poematum librum Donat atque dedicat.

CIceliae flos ipse domus, ter maxime Quæstor
O Britonum, Clariique dulcis alumne chori,
Qui studium virtutis amas, virtutis in altum
Quem tulit ingenium nobilitate pari:
Si vacat, ac pateris de tanto munere inanes
Ad nugas flecti nobile mentis opus,
Perlege nostra precor, iuuenilis carmina Musae:
Dat tibi primitias nostra Thalia suas.
Sunt equidem nugae, sunt metra ex tempore facta
Plurima, nec tanto munera digna viro.
Principibus placuere nuces, pira, mitia poma,
In precio vili sunt pira, poma, nuces.
Sed neque Principibus chartae, neque tessera quadra
Displicet, aut senis alea picta modis.

Sunt

Sunt tamen & chartae, sunt tessera & alea nugae,
Ludicra & ingenua non fabricata manu.
Sic vbi depones grauiorum scripta virorum,
Forsan in his animum quo recreabis, erit.

De seipso.
Quare carmina sctibat.

ANglia Pierias multos deducit ad vndas,
Anglus et in fidei seria multus abit.
Scilicet eximium genus est vtrumq; laboris,
Premia pro meritis alter, et alter habet.
Ipse ego diuinae quia non edissero legis
Abdita, nec possum, quae leuiora cano.

Christus

Christus morte sua mortem nostram destruxit. 1. Cor. 15.

2 *QVINCVNX.*

	Deuicit	*risus*	
Christus		*Peccatum*	*acerbe.*
	subiecit	*spretus*	
Agnus		*Serpentem*	*amare.*
	prostrauit	*cæsus*	
Victor		*Cacodæmona*	*inique.*
	destruxit	*passus.*	

Christus existens a mortuis vitam nostram reparauit. 1. Pet. 1.

3 *XPS*

Contemptam				*Salutem.*
	reparat		*patiendo*	
Neglectam				*tyaram.*
	renouat	*PS*	*vincendo*	
Amissam				*quietem.*
	retulit		*surgendo*	
Aeternam				*coronam.*

ARA

4

Christianæ religioni.

Θεογνώμων

Sancto renatus infans
Baptismatis lauachro,
Deinde CONfirmatus in vera
Fide sacrata Præsulis manu,
Et lectus in sortem Dei puer:
AETATE vernali procellosas
Nostri per vndas Ponti,
Finesquè Brabantinos,
RHENI per oras late,
Celsas & inter Alpes,
Taurumq; Apenniniq;
Iuga p Hetruscas vrbes
Fassus polo TONAntis
Sãctũ ac tremẽdũ nõen:
Adultus inter GALLICAnas
Neces professus CHRISTIanum,
Vir CHRISTIANA Religione
Ruam scelestus? Derelinquam
Senex? mori ab meme ante malim.

LONDINI. CIϽ. IϽ. LXXIII.

INTER MORTVOS LIBER PSAL. 87.


Sunt Balsama, non Pallae: sunt mihi purpureae.

Non mihi divitiae, non Serum vellera, Non

non unius, non

5 *Musa tibi gladium fausto pro munere Donat.*

Securus
Omnium
Tyranno-
rũ Armi-
ger, Quo
VIT am
Agas tuam.



Moecenati optimo Gladium Spiritus quod est verbum Dei.

LVTETIAE KAL. IAN.

6 Paruum ouum.

σιμμιακῶς


LIS
LEIO
Cauo foe-
licem annum
RICAR
DVS.

Bernardino Confalonerio.

7 PIRVM.

C
o
n
FALO
NERIAE
gentis honos
vna Italorum
spes iuuenum, meæ
BERNARDINE MI
Maxima pars Animæ,
tempus in omne, precor,
Viue beatus
ex animo.

Siquidem valet οο



Perusia Kalend. Aug.

8 Io. Martino Oltingero Germano Pastoriciam fistulam.

Haec est illa dies, qua Christus homodeus omni
Errato vacuus, primis puer octo diebus, *
Abluit errantem puerili sanguine mundum.
Quod donū? quae strena potest reddi melior?
Aut magis ex aīo, sanguis q̃ sit proprius?
Scilicet Augusti xenio praestantior, *
Quacūq; strena & fuit ullo tempore.
Aurea mittendi dona arbitror hinc
Enatum penitus morem celebrem.
Non puero magis acceptum Deo
Id referes ulli quàm Principi?
Chara mihi mea Melpomene,
Egregium mihi fer xenium.
Cui vin' carmina fundā?
MARTINO Oltingero.
Illum carminibus, *
Vino illum celebra.
Carmine quonā?
Dulcisonanti.
At Vino?
vino Cos. Quid sit vinum cos. Poem.54.



LVTETIAE KAL. IAN.

Neapolioni Comitolo.

A L AE.


9. σιμμιακῶς.

Summa colentes iuga Parnassia Nymphæ teneræ, Castalides puellæ,
Si latices haurio suaues, Helicon vertice quos ab alto
Murmure agit dulcisono, si colui sacratam
Aoniam paruulus, & reposta
Munera si quid a me
valebunt,

Hyblæam
Candidula tyaram
Ferte manu, lilia ferte pulchra,
Neapoleonem decorate, O, violis rosisquê
Neapoleonem Perusinæ decus vrbis, cui nomen auo
Par celebris fama dedit, perpeti agendum studio cum pietate nomen.


10 Cantuarienſis Eccleſiæ inſignia.

Pſ.148.	*O Iunior*	*Sponſæ, noua*	Epheſ.5.
Pſ.149.	*O foemina,*	*Hieruſalem,*	Apoc.21.
	vir et ſenex	*Eccleſia.*	



i.Cor.13	*Vera in fide*	*Antiſtites*	Matth.18.
	amore, Spe	*Epiſcopos*	
	certiſsima.	*Doctos patres*	

11 Valetudo ſeu Pentalpha.



De Romanæ vrbis excidio.

12 PYRAMIS INVERSA.

Superba Roma, auara Roma, Roma Lu-
xu perdita, omnium parens Libidinum,
Iā Roma, Roma es amplius? Iā Roma
Superba corruis. RVINA tristi
Moerore plena, superbiæ quantæ
fueris, docet. misera quidē iaces.
Vnde appetitus ille nimius
Pecuniarum crescit indies
Habiturꝰ aliquādo modū.
Sin defuissent nummuli
Similiter atq; [13] imperiū
Nec scorta, nec puellæ,
Puer nec impubes
Purpureus, aliqn̄
Luserat in aula.
vin' Roma rursū
Cōsurgere? bona
fias et humilis.
hoc displicet?
Ergo ruas
Omnino
placet.



13 σιγμμ σχῶς,

In reditu Moecenatis sui e Gallia. Securis.

Turbine versant violento pelagus, littora dum fluctibus alma spumant,
Luctiferum dispereuntis gemitum remigis aure condi.
In patria, qui prior almam pelago ratim dedit.
Carmine, quae prima ratim poliuit,
Qua vehitur domum
Decus meae.

Triste mari veliuolo, dum Notus atque Eurus, & horrens Aquilo procellis
Conspicere praecipitatum in scopulos & breuia innatantem,
Plurimus illi sit honos, plurima sit beatitas,
Sit celebris perpetuo Bipennis
Per Vada feruida
Camoenae

Dei matri annunciatæ
8. Kalend. Apr.

14 Cento Virg. Eclog.

a.ec.7.
b.ec.9.
c.ec.10.
d.ec.5.
e.ec.7.
f.ec.7.
g.ec.7.8.
h.ec.5.
i.ec.3.
k.ec.7.
l.ec.4.
m.ec.4.

a b c
Muscosi fontes, stratum æquor, mollia prata,
d e
Intonsi montes, postes fuligine nigri,
f g
Pastores, nymphæ, torrentia flumina, syluæ
h i
Spargite humum folijs. nunc formosissimus annus,
k l
Omnia nunc rident, omnis feret omnia tellus:
m
Iam noua progenies coelo demittitur alto.

De eadem.

15 Rapsodia.

Nympha humilis, Regina potẽs, sponsa alma tonãtis,
Virginitatis honos, virginitatis amor,
Luc.2. *Casta feres puerum, puer hic dicetur IESVS,*
Hic est Messias, hic Deus est & homo.

AD. IO. BARON. RVSSELLVM
ILLVSTRISS. COM. BED. FILIVM.

16 Alterius Poetæ artificii Imitatio

Sic, quando cecini Trendæ spumãtis ad vndas
Quà Lili pingues flumine lambit agros,

Fortene

Fortene, vel casu? Russelli syllaba prima, RVS
Prima mei domini syllaba, murmur aquæ.
Ast vbi vidissem titulos sellamq; curulem, SEL
Et quænam titulis addita zona suis,
Et quantæ lucent iuuenili in pectore dotes, LV
Ostendunt medio quas elementa loco:
Vltima surgentem compressit litera vocem. S
Illa equidem numeris sunt grauiora meis.

De puero Iesu

17 Vniuersi Poemat. Imitatio

Pectus mellifluum tuum, O Iesu,
Mihi si dabis vsq; suauiari,
Sexcentas ego basiationes
Vsque addam, neque deseret voluptas:
Non si plenior osculationum
Sim, quàm copia prædicata cornu.

18 Ex Epigrammate antiquo nouum.

MOGVNTIAE
1565.

Tota pluebat nocte, reuersus dedit
Sol denuo spectacula:
Diuisa plane regna cum summo Ioue
Elector hic Princeps habet.

Ad

Ad Moecenatem.

19 Allusio Virgiliana.

O sole immensos reducis miserate labores
Ricardi, qui me primo terraeq; marisq;
Pluribus exhaustum iam casibus, omnium egenum
Vrbe, domo socias, grates persoluere dignas
Non opis est nostrae, Moecenas, nec quod vbiq; est
Gentis Wiccamicae, magnum quae sparsa ꝑ orbem.
Dii tibi, si qua pios respectant numina, si quid
Vsquàm iustitiae est, & mens sibi conscia recti,
Praemia digna ferant. quae te tam laeta tulerunt
Saecula? qui tanti talem genuere parentes?
In freta dum Fluuij current, dum montibus vmbrae
Lustrabunt conuexa, polus dum sydera pascet,
Semper honos, nomenq; tuum, laudesq; manebunt
Quae me cunq; vocant terrae, quemcunq; secutus,
Dum memor ipse mei, dum spiritus hos regit artus.

Ad Penthesileam Soziam.

20 E Græco.

Certent Romuleae, certent latieq; puellae,
Laudibus hae caedunt, Penthesilea, tuis.
Tres tantum charitas falso dixere Poetae:
Mille oculo tibi sunt gratiae in alterutro.

Bapta

Bapta parens moriturus hæc Satyrice de ſuis pronunciat liberis.

ITALIS

21 ## Paſquinus.

De Xantho Iureconſulto.

Foenum habet in cornu, longe fuge, dummodo riſum Hor. Sat.4.
Excutiat ſibi, non hic cuiquam parcet amico.

Seuero Theologo.

Quum tua peruideas oculis mala lippus inunctis, Hor.Sat.3.
Cur in amicorum vitijs tam cernis acutum?

De Craſſo Epulone.

Praeclaram ingrata ſtringat malus ingluuie rem Hor.Sat,2.
Omnia conductis coëmens obſonia nummis.

De Roſa filia.

Candida, rectaq; ſit, munda hactenus, vt neq; longa, Hor.Sat.2.
Nec magis alba velit, quàm det natura videri.

Leuino Iuueni.

Macte---- Virtute eſto, ſententia dia Catonis. Hor.Sat.2.

Georgio Poetæ.

Nec te poeniteat pecoris diuine Poëta. Virg.Ec.10.

De

DE STELLA.

Quæ An. CIↃ. IↃ. Lxxii. in extremo cæpta est videri iuxta Cassiopæam.

22 Sermo.

Qui fit, mortales quòd viuant corde soluto,
Seu Titan redeat, seu nox obuenerit, vnum
Ostensum coelo speculentur protinus astrum?
Incustoditus prone montes ouium grex
Demetit, Ac modulum foeni quem forte repostum
Inuenit ad præsepe, iocis male cautus in vmbra
Dum pastor tempus terit, applaudente catello.
Huic si quando aliquā rapiat lupus è grege cūcto,
Attonitæ casum mirantur, frontibus astant
Erectis aliæ, ne surripiantur & ipsæ
Formidant: e conspectu lupus vt procul exit,
Mox tamen oblitæ solitis in montibus errant.
O speculatores, Brutum genus, indiga lucis
Pectora, signum non petere, & signum datur. audi
Quo res deducenda. solent mortalibus astra
Illa bonumve malumve omen portendere, Sphæra
Quæ nec voluuntur propria, neq; sydere certo
Fixa ineant, sed vbi summa efficientia primi
Motoris, faciente Deo, succenderit, illa
Imperfecta vocant mixta prisci, illa cometas

Materiam

Materiam quibus exhalat terra. ordine miro
Concipiunt flammas, implent fulgoribus orbem
Quà pestem, quà bella, famem, mortemq́ minantur
Principis, hæc etenim præsagia talia monstrant. *
His igitur coniuncta malis miramur & astra,
Quærimus euentumq́ aliquem, resipiscere toto
Pectore quis non? dum causas effecta sequuntur.
Mox vbi desierint, solito peiora patramus.
Verum dic nuper quid Cassiopeia sedes
Illustrata nouo portendit sydere? numquid
Plus æquo tosti pisces, aut portitor Helles
Aequora succendunt septem subiecta trioni?
Frustra equidem nullis excanduit ignibus æther.
Ardua res dixisse aliquo ventura deinceps
Tempore, quæ solum superis concedit Homerus. Isocrat. contra Sophist.
Quæ predicuntur, sapiens quia sidera vincit,
Possunt non fieri. sed tum perhibetur ineptus
Astrologus, quasi falsa palam fecisset. inertes
Artificem nullo commisso crimine rodunt.
Stella grauis, nostro pridem que cernitur orbe, Cardan. in 2 lib. Quad. Ptol.
Aëra pestiferum præter ventosq́ furentes,
Relligione graues regnorum denotat æstus.
Iuppiter ipse locum stellæ regit, atque colorem.
Quid Mars? aspectu gaudet, viresq́ præustæ
Coniugis infortunat, iniquum Pleiade natus
Vrget opus, falcem chronos inflexamq́ minatur

Sed

* Aristot. in meteor. Ptol. lib. 100. Pronun. Lucanus Pharsal. 1. Silius Pun. 1. Pontanus de Stell. Aratus ἐν τοῖς φαινομ. Virgilius de morte I. C. Cardanus in 2. Quad. Ptol.

Sed tamen imberbis, sine cauda, cæsarieq;
Stella, facit dubios animos, sit in aëre necne,
Possideatne aliquam Sphæram, quo climate mundi
Sint habitura suum dira hæc præsagia finem.
Aethiopas credo penitus modo Cussiopæam
Ignorasse suam, & consueto cardine motum
Axem diuisisse nouo iam sidere zonas.
Namq; magis Tropico vicinum conficit orbem.

Cussiopæa enim Aethiopib⁹ nō Cassiopæa Postello auctore.

Quàm timeo, radijs nusquàm vergentibus, astro
Suscipiat cunctus ne quod septentrio damnum?
In primis vero pecorum queis ductor, & alter
Præsidet extremo populis moderamine Piscis.
Linea, quam tetigit radioso corpore stella
Hoc cæli medio circumdescripta notabat.
Hoc Babyloniadum, corroso margine, libri,
Atq; Aegyptiacæ chartæ, Astrorumq; Magistri
Demonstrant, Lybicas Cæsar quos transtulit vndas.
Iam cautus populi rector, timidusq; procellæ
Nauita perquirit venturi tempora damni,
Nititur Astrologo, stellæ rem digerit omnem
Aspectu, veluti nullus foret arbiter orbis.
Alter ait: nil me fiet. φαινόμενα nugæ,
Quàm recti prauiq; index, tam nuncia falsi.
Quod si contingat quidquàm, ruet omen in illum,
Aut illum Regem, aut populum, nostra omnia tuta.
Sic quando frater quisquàm, vel presbyter alto
Suggesto intonuit, vibrans O tempora, mores,
Quisq; alium sæuo prætactum fulmine dicit,
Seseipsum nemo. quare neq; tempora noscet
Improba, nec mores volet emendare scelestos.

Hoc genus infoelix hominum, sed stultius illud
Futiliusq; tamen. quidam, mihi crede, colonus
Astrologus cui dixerat, immutata sequetur
Hic rerum facies, nequè certam dixerat horam,
(Nec certe poterat, solum penes hora tonantem.)
Incultos contemnit agros, operosa peculij
Illum cura fugit, quidquid fuit ante repostum
In cumera, penuve boni profundit. ab illo
Causam inquisiui: respondit. foeda sequetur
Astrologi dicunt, pestis, crudelia bella,
Hisce meis fruar ipse bonis præsentibus. illa
Procuret post hanc stragem quicunq; superstes.
Post vbi Sol Tropici peragrasset brachia Cancri,
Nec bellum, neque pestis erat, lætasq; referrent
Agricolæ segetes alij, rudis ille colonus
Ingemit, ac toto deinceps miser esurit anno.
Nolo quis dicat mutato nomine quemquam
Proscindi, nolo prudens quis negligat astrum,
Aut metuat nimium. culpam sibi conscius omnem
Deponat, seruum vigilem se præbeat, astris
Hoc regnare, hoc est esse astrorumq; peritum.
In quo cuncta mouentur & insunt rector Olympi,
Disponet placide, forti reget omnia dextra.

Constantii Martyris nomine Ad Christum

Constantius Perusinorũ episcop. ante annos CIↃ.CCCCIII. christiana p religione occubuit

23 Preces.

Tandem virginis inclyta
Proles, Patris & vnice

Fili, nate Deus Deo,
Humano generi salus
Mundi a principio data,
Cælo desuper aspice
Afflictas famuli vices.
Multis exagitor malis,
Aerumnas patior graues,
Nomen dum celebro tuum.
Duris constituas rogo
Certum supplicijs modum.
Languent membra doloribus,
Corpus verberibus tumet,
Vnum qui superest mihi,
Carum suscipe spiritum.
Vt qui per varias cruces
Hic sanctam coluit fidem,
Donatus rude, proemium
Sacrum militiæ ferat.

De Spiritu sancto

24 Hymnus.

ὕμνος ἐνκω- μίου διαφέ- ρει. ὁ μὲν γὰρ ὕμνος ἐςι θε- ῶν. τόδε ἐγ- κώμιον ἀν- θρώπων, Αμ.

Spiritus promisse Deus, potenti
Cum patre & nate Deus vne & idem,
Dulce procedens ab vtroq; Pneuma
Ordine miro
Te canam, dextræ digitum Tonantis,
Et paracletum generis redempti,
Qui doli quidquid reperitur vsquam
Detegis orbi.

Machinam

Machinam mundi triplicem creasti,
Aëri, coelo, pelago dediisti
Iura, tellus te viridem iubente
protulit herbam.
Tu nouas mundi faciem, gubernas
Tu gregem Christi, tu animas piorum
Gratia reples, tua dona confers
gratus in omnes.

De eodem aduueniente

25 Narratio.

Postquàm res Erebi stygiamq; euertere mortem
Inuisam superis placuit, victorq; triumpho
Nobilis æthereum Christus conscendit Olympum:
Dona dedit varia, & flammatæ munera linguæ
Contulit in gentem sanctam, tum quando repenti
Spiritus aduueniens sonitu tecta alta Syonis
Concussit, totamq; domum virtute repleuit
Nectaris ætherei: captus dulcedine tanta
Hausit Euangelium sitienti pectore mundus.

Narratio alia.

Vidimus Ascanij tumulum, stat marmore Cornus
Florida, cuius apex sydera celsa ferit.
Frondens, mira loquor, crescit quoq; laurus in illa,
Et perstat, quamuis pondere pressa graui,

Exuuias induta virum spolijsq; referta
Quanta nec Herculeus munera postis habet.
Nymphæ amplum geminæ sustentant mausolæum,
Vtraquè formosa est, vtraquè par oneri.
Clamarem tumulo coelestia numina claudi,
Hæc si fata sinant numina posse mori.

In Græciam male de Sp. S. sentientem

26 Inuectiua.

Hoc verum est spreuisse fidem te, Græcia, nostram?
Necnon hæretica viuere nequitia?
Non tibi periuro Labarum de gente mouebo,
Nec mea cælatas destruet ira cruces.
Nec proauis quondam redamata infringere templa,
Nec vites ausim falce secare tuas.
Barbarus hæc aliquis, vel Turca incommoda portat,
Cui nondum Christi cognita relligio est.
Scribam igitur, quod nulla potest delere vetustas,
Græcia verba leuis, Græcia vana fide.
Crede mihi, quamuis nolit reuerentia famæ,
Hic tibi dedecori, Græcia, versus erit.

Graeci cuiusdam

27 Palinodia.

Stesichorus primum hoc genus cõposuisse dicitur

Me leuitas animi fallax, me schismata lædunt,
Et quam contempsi perfidus, alma fides.

Me

Me lædunt, quæ Turca mouet crudelia bella,
Me pax, dum fuerit quod modo pacis opus.
Omnia me lædunt, meritus sum, pneuma beatum
Parce precor, verum sentio te esse Deum.

De 12. fructibus Sp. S.

28 Ode.

Ex pulchris ego floribus coronam
Necto, quos hodie metunt fideles.
Primi tres rutilum micant vt aurum,
Nec vllis pluuijs cadunt nitore:
Charitas pia, gaudiumq; paxq;
Splendent purpurei loco secundo
Tres, nam continuo premuntur æstu,
Bonus, longanimis ferens iniqua.
Suaues vt violæ, & pares colore,
Tres sunt ordine tertio locandi:
Mansuetudo, fides, benignitasq;.
Albas tres alij rosas odore
Et visu superant. Modestia atque
Continentia, Castitasq; pura.

Christi & Ecclesiæ

29 Prosopopæiæ.

Quæris vbi doceat, quos erudiatve scholares
Qui de suprema sede magister adest?

Consule scripturas, numquàm te Biblia fallent,
Semper amica mihi, semper amanda tibi.
Ecc. *Hinc equidem cunctos mea gloria creuit in annos,*
Abs te quòd fuerim docta in amore tuo:
Sola tibi placeam, solus mihi, Christe, placebis:
Hic immortali nomine dignus amor.

Fuluio Corneo in feriis Pent.

30 Gratulatio.

Et Pentecostes merito, clarissime Princeps,
Atq; tui aduentus vna eademq; dies.
Namq; pius rutila gaudet cum Spiritus ara,
Candida quæ fuerant, Cornea poma rubent.
A puero sic vita fuit tua candida, Corneu,
Veste hodie vt rutilans, ac pietate, venis.

Henrico & Camillo Princip. Caëtan: post accepta DD. insignia

31 Pæan.

uu pro- *Dulce nobilium decus Italorum,*
O Caëtane alter, & alter, Heros,
Floreant vestræ, faciliq; perstent
Sidere laudes.

Alter

Alter Henrice integra iura fido
In sinu condis, pietate iuncta,
Fulgida gressu properans citato ad
Culmina Petri.
Alter arentes Helicone campos
Eluis legum, rigido, Camille,
Iure tu nectis violas in alto
Vertice Pindi.
Macte nobilium decus Italorum,
O Caëtane, alter, & alter, Heros,
Et nouæ crescent, faciliq; stabunt
Sidere laudes.

32 # Encomia.

De Serma Angliæ Regina.

Sæpe aliquis tanto lætus molimine rerum
Dixit, quænam vos Nympha, Britanne, regit?
Sic ego, sic Musæ. Nymphas ter & amplius omnes
Ante alias Nympha pulchra, perita, potens.
Post Venerem formosa Venus, de Pallade Pallas,
Regni sola potens, foemina sola regit.

Post Naupactæam victoriam Ioannni Austriaco.

Aeratos minuet postes, ac fulgida Regum
Inscriptos silices nomina tempus edet.

Tempore frangentur ferrūq; adamasq́; perenni,
Durius & quidquid duro adamante fuit.
At vero Austriaci clarum delere vetustas
Nomen, Bellona vindice, nulla potest.

Ad Gulielmum Postellum.

Si quis Doctores vult fama anteire vetustos,
Ille te in exemplo collocet ante suo.
Te siue eloquium rogo, te siue abdita rerum,
Es rerum doctus, doctus es eloquio.

Ad Pompeium Boncambium.

Olim mirabar quæ tanta in præmia laudum
Esset Pompeio causa: quis ille puer?
Nunc tu Palla sapis, tuq; O Cythereïa: formam
Tu quia contuleras, tu quia sensa dabas.
Dignus enim puer est, quem vel crinitus Apollo
Decantet, laudum causa probanda fuit.

Ad Alexandrum Cybbum.

Ne quis Alexandri generosum pectus, & artes
Nesciat ingenuas, ipsa vel arma docent.
Ingentes narrant animos duo namq; leones,
Fascia Graiugenam discolor esse monet.

Ad Io. FizIa.

Permultos vidi pueros & sanguine, & arte
Claros, & magni dotibus ingenij:

Sed

Sed nullum vidi puerum, puer inclyte, qui te
Sanguine, & ingenio, non sit, & arte minor.

Ad Aug. Maseium.

Et arci bene conuenit Genaræ,
Ac stellæ triplici Maseiorum.
Dotes vtraque nam pares dederunt
Augustæ soboli. cor hæc pudicum,
Fauorem populi, scientiamq;
Constans illa graue, arduumq; pectus,
Vt quæ splendidulo fuisset astro
Mens data, in solida maneret arce.
Stellis ergo tribus Maseiorum,
Atque arci bene conuenit Genaræ.

Absoluta disputatione de Philosophia.

33 Gratiæ.

Præ cunctis Sophiæ potens magister,
Quot sunt, quotq; fuere in vrbe nostra,
Et condiscipuli decus iuuentæ,
Gratias ego maximas referre
Vobis opto, alijs minus peritus:
Tanto præ reliquis minus peritus,
Quanto vos reliquis peritiores.

Pro reditu sui Mæcenatis

34 Votum.

Elatis manibus precor Tonantem
Qui vastum pelagus regis, potenti
Nutu qui moderaris vniuersum,
Et cui syderea tremunt columnæ,
Des æquor placidum, procul caligo
Cæca diffugiat, coerceantur
Venti carceribus, suisq; in antris
Præter Euronotum premantur omnes:
Dum natale solum reuisit vna
Spes o Pieridum, decusq; gentis
Anglorum, columen meæ camoenæ.
Sic late pelagus per omne, sic per
Cuncta climata continentis, & si
Qua sit Cosmographis & vsq; & vsq;
Nondum cognita, perlegenda tellus,
Tuum faxit vbiq; sacrosanctum
Sit nomen, tua recta quod voluntas
Iubet, sic patulo impleatur orbe.
Foedi sic pereant cruore Galli,
Sic perstent solida in fide Britanni,
Sic te pectore diligam vniuerso.

Ad G. A.

35 Mnemosynon.

Siccine me dilecte iubes, Gulielme, valere?
Cognite tam sero, tam cito vertis iter?
Scilicet id visum superis. fugit ocyus Euro
Quidquid in humanis rebus amare potes.

36 Psalmus.

Quò mihi curas toties vanas
Sumo? quid metuo senium graue,
Aut pauperiem fugio dæmens,
Aut requiem defessus quæro?
Nil mihi deerit, pascet me meus
Dominus, campos Elysios mihi
Rex meus, & iucunda vireta
Fortunatorum nemorum dabit.
Non flatus crudeles Africi,
Non canis aspectus, non Brumæ
Frigora me lædent nimbosæ,
Horrida non facies tortoris,
Instantisq; tyranni vultus
Sede mouebit mentem solidam.
Noctu si tacitas per syluas
Obscura in valle sit iter, feræ
Si tentent rabidæ, si mortem

Minitentur

Minitentur, me baculo pastor,
Tutabitur, & virga me sua
Cautum reddet, ne duri noua
Facies vlla laboris surgat.
Quid quod ad epulas, festasq; dapes
Assueri epulis atque Neronis
Mensa lauta splendidiores,
Inuitat rex noster Christus?
Ad cyathum cuius ego liquidis
Vnguentis persusus, grata
Ducam lætus pocula Nectaris:
Queis oculos auertens hostis
Nimio macrescet moerore.
In coelo dum fuerint stellæ,
Sub vasto maris aequore pisces,
Deerit arenis numerus, solem
Dum lux, dum noctem astra sequentur,
Siccam versabitq; arcton polus,
Nos forti conseruabit manu
Illæsos opifex rerum Deus,
Tandemq; graui functis vita
Perpetuas donabit sedes.

In reditu

27 ΚΕΛΕΥΜΑ

Anglia dulce maris decus, Anglia copia cornu
O domus, o patria, o Anglia mater aue.
Actos en redeo post quinque & quatuor annos,
Sis foelix, in te des mihi posse mori.

Acclamationem hác voce nautica appellare libuit, quia nauigio reuerti Quanquam Petrarcha pedibus in Italiam reuersus eodem pene modo acclamauit, *Salue cara &c.*

Extemporanea vituperatio.

38 In Marcum.

Marce tui versus quos scripseris esse negantur.
Cur? quia te tales scribere nemo putat.
Quod si scribebas, Maro vel tua carmina fudit,
Vel quæ fudisti metra, Maronis erant.

In Olbium.

Olbius optatos optat cum scribere versus,
Optatum media collocat ille breui.
Nec tacuit causam, liceant quod plurima vati:
Si licet hoc, vates quilibet esse potest.

Comitiis Treuirensibus

Crucis Treuericæ ac leonis Eltzini

39 Epithalamium.

Crux ego rubra meo toties viduata marito,
Tandem consorti sum noua nupta pari.
Inclyta conueniunt vtriusq; ita symbola, iures
Nos hymenæo ipsum concelebrasse Deum.
Incedo redimita grauem per tempora mitram?
Paret, amande leo, bellua quæq; tibi.
Nobile ego triplici galea caput ornor? amico
Circensis repulit tela cruenta Leo.

Res tota e scholio dilucidior erit.

Gellius

Pelli-

Pellitum diadema comas incingit? amicta
Clarior Eltzini pelle Leonis ero.
Ancipitem stringit romphæam dextera? Pœnę
Daniel. 6. *Gens inuisa fuit nobilis esca feræ.*
D.Hierony- *Bethlemiam timuit Leo, res nisi vana, senectam:*
mum. *Læua pedum gestat, paret ouile pedo.*
Ergo fausta dies, qua sum noua nupta Leoni
Treuerica Eltzino crux ego rubra meo.
Fausta sit illa dies, iterumq; iterumq; beata,
Fausta sit ac maneat sæcula longa dies.

De eodem.

Quænam præ reliquis arbor lectissima? crux est.
Quod Brutum superat nobilitate? Leo.
Ergo pari fuerat crux adiungenda Leoni:
Ergo Leo iunctus debuit esse cruci.

In lib. de Calido Seb. P.

40 Præfatio.

Desine de calido Theophrasti quærere librum,
Aut quem Galenus scribere proposuit.
Clauserit vno isto Physicus Paparella libello,
Ille, vel ille liber, quidquid habere potest.

L. cuiusdam inuidi

41 Notatio.

Frons breuis, os deforme, genae macrae, apta rapinae
Lumina, serpentis lingua, perita gula,
Mens oppleta dolis, vox blanda, cupido regendi
Signant quem metuat quisq; , neq; vllus amet.

Ad Iudæos

42 Obiurgatio παραινετικὴ.

Quem, Iudæa, nouum doctorem, quemve magistrum
Coelo, coelitibus gens inimica, petis?
Tempus in omne nouos mittendi vana magistros
Spes fallit, misso crede, perita sat es.

E Tragoedia Constantio

43 Chorus.

O sors alumnis inuida fortibus,
A sorte quidquàm si geritur vaga
In rebus humanis, nec adsit
Consilium sapiens tonantis.
Idola quisquis ludicra gentium
Supplex adorat, regnat in otio,

Adumbraui equidem tragœdiam hâc perficiam autem cum voluerit Deus, & per otiũ vacabit.

Quamuis

Quamuis Creatorem potentem
Ac dominum violarit orbis.
Nullo teruntur verbere, qui Iouem,
Bacchum, Cytheren, Isida, Lemnium
Faunos profanos, monstra, spectra,
Dæmonium vel iniquum honorant.
Caina proles, non genus Abrahæ,
Ingrati Hebræi, clara quibus dies
illuxit, obscuras tenebras
Supplicio vacui sequuntur.
Nos Christianos mille pericula
Solos premunt. nos vincula, carceres,
Tormenta, flammæ, nex cruenta,
Exiliumq; manet nefandum.
Nulli nocemus, quæ sua, reddimus
Cunctis libenter, praua remittimus
Delicta cuiuis perpetrata,
Nos tamen excruciat tyrannus.
Iusta est, sed O lex, iudicium tuum
Iustum Deus, quem diligis, aspera
Tangis manu, nullus virentem
Percipit absq; labore palmam.
Abram beatus progenie pater,
Eiusq; proles nobilis Isaac,
Moses & Aaron multa passi
Perpetuam meruere vitam.
Hac arte Phineus inclytus, atq; Abel
Nixus, bonis se miscuit Angelis,
Quos inter æternum triumphat
Nauita primus, Enosq; simplex.
Hac, nate, Naui, fortis Iosua,

Quum

Quum restitisses acriter hostibus
Monstrauit in terris amœnos
Pulchra tibi paradysus hortos.
Dauid fidelis gloria principum,
Reges Iüdæ, sanguinis vltimus
Adamus auctor, Patriarchæ
Presbyteri, Samuel, Prophetæ
Quàm præliati fortiter? improbis
Quæ non tulerunt vulnera ab hostibus?
Omni procul vitam quiete
Degere semper erat necesse.
Tormenta sic post noxia, carceres,
Prunas calentes, verbera, balneas
Constantius fortis meretur
Ad superas remeare sedes.
Christi sacerdos, verus Episcopus,
Ecclesiæ pars magna fidelium
Prodesse viuens vniuersis
Et meritis & amore posset.
Sin vis Olympi Rector, & arbiter,
Illum tyrannus Caritius premat,
Esto. solum sparsum cruore
Agricolæ segetem dat amplam.
Petro quis vnquàm vel domini gregem
Pauit, vel ipso rexit amantior?
Aut latius Paulo remotas
Sparsit Euangelium per vrbes?
Atqui pependit Petrus ab arbore,
Percussus ense est Paulus, Apostolum
Vtrumq; mactauit Nero. me
Mors vtriusq; beata iuuit.

Vt fundit ilex brachia latius
Detonsa, multo sanguine martyrium
Diffunditur sic, & virescit
Culta fides mage Christiana.
Constanter ergo perfer, episcope,
Pœnam, tyranno quam dabis horridam.
Mortem tuam mox quæ sequetur,
Messis erit Perusina maior.

Ad C. Morisynum Armig.

44 Paria plura vni certo numero relata.

Gramina quot numerat tellus, quot littus arenas,
Quot nutrit pisces vnda, quot Hybla fauos,
Astra quot in coelo, quot sunt in montibus vmbræ,
Quot folijs gaudet sylua, quot æquor aquis:
Carole tot Morisyne tibi, tot, terq; salutes
Et quater, ex animo terq; quaterq; precor.

De Sp. s.

45. Imparia plura vni per auxesin incerto numero relata.

Non sic audiuit Salomonem natus Iudæ,
Ad cuius iacuit gens Nabathæa pedes:

Turba

Turba venenati fuerat neq; Socratis olim
Tanta, cui primas Phoebus Apollo tulit:
Non Aegyptiacum quamuis tolerauerit æstum,
Tot schola discipulis densa Platonis erat:
Quantis vna dies aufert erroribus orbem
Te duce, quot, duce te, luminat vna dies.

Ad Gulielmum fratrem

46. Paria paribus.

Quot belli lepores in Atho pascuntur amoeno,
Quot gignit dulces fertilis Hybla fauos,
Quot cernuntur apes in summo vertice Hymetti,
Quot coelo in toto sidera nocte micant,
Quot mollis profert viridantia gramina tellus,
Quot nitidi pisces æquora vasta colunt:
Germano placidas tot fratri mitto salutes.
Exopto lætos tot sine luce dies.
Tot tibi pro meritis refero, carissime, grates:
Tot tibi deuinctus, frater amande, modis.
Tot tibi contingat quinquennia viuere lustra,
Tot veniant annis gaudia læta tuis.

De Liliæ interitu

47. Allegoricω̃s.

Numquàm sanando perijt cur Lilia morbo?
Sana quidem nimijs vsa fuit medicis.

48 Partes omnes Orationis In sing. versibus.

Hosp. *Hem, sed in his studijs, nimium defesse, laboras?*
Po. *Proh, quia cum studijs non tibi nata meto?*

Ioanni Sitricho strenam

49 Categorias omnes.

PARISIIS. HO-	ORNATO. ERE-
DIE. FAVSTVM.	CTVM. ARGEN
ANNVM. DO-	TO. QVO. CON-
NAT. AMICVS.	DITVR. ORBIS.

Quæ nunc res, aut ante fuit, vel deinde futura est,
Omnis in exiguo munere clausa venit.

Ad R. WAR.

50 Litteræ omnes vno car.

Strenam quoi, Rudolphe, dabo gazam? cui fluxa
Labitur, & cuinam carmina? vatis erunt.
Diues vt vt tibi gaza fluit, Rudolphe, canenti
Dulcia Melpomene non tibi metra negat.

Dono igitur carmen, quo carmine cuncta latina
Constant, quæ fuerint carmina, sunt, vel erunt.

De Publio Tara
51 Carmen Recur.

TARA SIBI SVBITO DOTIBVS IBIS ARAT.

Ad Gulielmum fratrem
Lusi puer
52 Expressum initiis carm. nomen.

Gratia Dijs superis, qui me finxere secundum
Vlli non fratrum carmine, ni tibi sum.
Laus mea non est hæc omnis, carissime, pars te
Illa manet, pars hæc me: studiosus eram.
Est tua laus, quia me erudijsti primus in artem:
Laus mea, quòd posui gnauus in arte diem.
Me tibi coniungit, mihi te laus vna, tuetur
Vna duos laus hæc nos ratione pari.
Scilicet & per te nuper sum de grege factus
Wiccamico. meditor dignus ego esse loco.
Infima non tua laus ergo, suauissime frater,
Laus mea non humilis, si studiosus ero.
Laude igitur parili fas sit gaudere. sed vno
Sis potior: venias nos, videasq; breui.

53. Anagramma.

Gulielmus Sillaresus de hoste victoriam.

Ille.i.hostis. *Nomen victorem facile indicat, ecquod id? ILLE GRVS] ILLÆSVS SVM, nobile nomen habes.*

De vino præstantissimo

54. Ænigma.

COS. Prima litera colorē, altera odorem, tertia saporē innuit.

Quæ prima est cordis, media impotis, vltima finis
Littera, vinum ter nobile significat.
Numquid enim melius Germanis nascitur? in quo
Et color & fragrans est odor, atq; sapor?

Quam diligat Aemilius

55. Geometricωs.

L A *Gnomon certicolor, Circinus aureus,*
I S *Læuis linea, serpens minime ferus*
Designant populo delicias tuas.

Septem

Septem Dona Spiritus Domini explicantur.

56. Litteris per ἐπιφανέιαν mediā transuersim in crucem positis.

P rofun dit su peris tot dia charismata coeli S, Isa. 11.
agnas N estoreus teneras quot legit A brahā: Gen. 21.
a pharaone bou E s quot consbiciu N tur in vndis: Gen. 41.
quot domus excisis C hristi fuit alta colūnis: Prouerb. 9.
lampades igni T as, quot credim V s esse Araonis: Num. 8.
sacris V rbs ruitura tubis quot circu M eunda: Ios. 6.
Zach. 4
M armore in vno oculi quot, lux quota ĩ arce corusc A Apoc. 1

Nominis oppidi Panicaleni. explicatio alia.

πανκάλη *Panicale fuit, Græcæ inscia linguæ* ✶
Posteritas medio iunxit iωta loco.
Namq; loci positum si spectes, κάλος vbiq; est:
Sin cultum, numquid κάλλιον esse potest?

Comitÿs

†hoc genus elucubrationum qui soluta oratione scribunt invarias lectiones conferunt.

Comitiis DD. ad D. Stephanum.

57 Expressum primis atquè vltimis versuum litteris sesquicarmen.

N estora suauiloquum Pylos, atq; Amphiona Theba E,
O rphea Bosphorei, Lucanum Corduba iacta T.
B landitur vati Peligno, quisquis Hetruscu S,
I nclytaq; innumeros doctores Græcia tolli T.
L audat Mæonidem Smyrnensi natus in vrb E,
E t Colophoniacis clarum illius inuidet ortu M.
F oelicem sese, atq; Hortensij nomine clara M
R oma putat, linguæ Ciceronis flumina tant A
A usoniæ Arpinum celebrat, Ronzardus honori es T
N ataliq; solo, cultæ Italiæq; Petrarch A.
C ætera quid referam? quotus isto munere præsu L
F ortunatoq; euasit cito nobilis aus V?
V oluentur donec rutilantia sidera, done C
R ari doctores, quorum pulchræ innuba ment I
T ritonis placeat, quorum sint nomina Phoebi a D
V eridicam celebranda aram, Musisq; canend A,
M agno conatu, Doctor clarissime summ I
L egitimoq; gradu studij Parnassia nome N
AE ternum tibi turba feret, semperq; futura a D
T empora clarabit sacro tua dogmata cult V.
A rgentata igitur decoremus pulpita læt I:
R egia victrices palmæ dum tympana pulsen T,
E xornatus eat Stephanus diademate pulchr O.

In

In officiperdam iactabundum

58 Litteris Ægyptiacis.

Hieroglyphicas alij dicunt



Non nocuere tibi, sed nocuere tibi



D.v. *Iacob*

Iacob de Christo Gen. 49. car. Iamb.

59. Ex mediis versuum litteris IHS.

Non.auferetV r.regium.sceptrum.sacra
de.gente.dux Nec.de.femore.suo.potens.
deerit.nis I.GENI tus.fuerit.is.quem.deus.
missurus.es T.atquè.ille.duodecim.timor.
trIbuuMfut Vrus.Vcra.Tamen.is.gentium.
spEs.vuA.pręSsa.tEtro.HiErosolymæ.iugo.
roSa.puRa.DEcVS.oRbis.Obicem.ponet.malæ.
crVci.dIabolum.mVnduM.et.hostes.singulos.
vi.Sacr.ÆE.et.amaræSuę.mOrtis.domans.

Sic Virgil.
Insulæ jonio.æ.corripit non collidit.

De puero Iesu
KAL. IAN.

60. Parthenium.

Qui dies octo puer ante natus,
Natus in terra, soboles Olympi,
Nomen excellens hodie recepit,
Nomen a cunctis populis amandum,
Nomen e coelo Gabriel quod adfert
Nomen Iēsu.

De eodem aliud ex Isa. 7.

61. Car. concord.

Hic quis paruus vnde?| DEIne infans?
& vocabitur
Et DEVS spes certa salusq́; orbis.
Messias, oleo gens tingitur
Nomen Eius.
Seruator, populus seruabitur
Israëlis honos est, & Iūdæ,
Emanuel
Gētib⁹ exspectat⁹ hic, q́; perennis.

Carmen cō-cordans dicitur quando eædē voces ijsdem in locis carminib. diuersis congruunt.

Quia

62. Decremēto vel incremē-
to syllab. subsequutæ dictionis fit venustum carmen, quod recte notauit Scal. quale hoc est distichon ad summæ spei adolescentem Georgium Combrelandiæ Comitem.

Comberlandius ingenio prædiues, agris què
Est comes, illustri generosus nobilitate.

Quia musto pleni sunt hi

63 Illatio simplex.

Maximopere cauendũ est in hoc genere ne quid paralogizes.

Dulce premit mustum Surrenti nobilis vua,
Quamq; bibunt Fundi, Massica quamq; bibunt.
Dulce parit vinum, Cretensis gloria, palmes,
Et norunt vinum fundere dulce Cales.
Vincitur ast hodie fusi dulcedine musti,
Surrentum, Fundi, Massyca, Creta, Cales.

Alia
De thermis Buckstonen.

Corpore debilior Grani se proluit vndis,
Quærit aquas Aponi quem febris atra necat.
Vt penitus renem purget, cur Psaulia tanti?
Vel quæ dant radijs pectora Calderiæ?

Sola

Sola mihi Buckstona placent, Buckstona Britannis
Vndæ Grani, Aponus, Psaulia, Calderia.

Rogauit me G. Williammus possetne fieri vt iste meorũ Poematum liber anglice prodiret: respondi: nihil arduũ esse mortalibus, id quod anglica poematis huius versione comprobaui.

The weakned bones are washt
In Granus fonteyne bright.
The boyling banes of Padoa
Against the feuer fight:
To Spaw how many goe
The stone for to eschewe:
And to Veronaes warmed well
To get a better hewe:
Buckstones please me alone,
Buckstones to Britones stand
In steed of Grane and Padoa,
Of Spawe, and Verone lande.

Illatio alia sed geminata De Ascanio Corneo.

Maxima si validus mereatur præmia miles,
Et maneat summum florida palma ducem:
Si laude est Petri custos, si Marchio dignus
Lauro, & factori pacis habetur honos:
Præmia quæ tua? quæ palma? laus? laurus? honores?
Miles, dux, custos, Marchio, pacis apex.

Illata

64. Illata eadem per traduct.

Ad G. A.

Num tibi strenam vis anni, Gulielme, futuri
Auspicium foelix mittier? illud habes.
Vin' genus illustri deductum stemmate donem?
Tu genus & proauos nobilis, illud habes.
Formane? num dotes animi, sapientia, mores,
Dono mittantur coelitus? illud habes.
Clarum nomen? habes auctum virtutibus. ergo
Pro strena mittam nil? sed & illud habes.

Cantor, Medicus, Poëta socij:

65. Pollanalepticum.

Non procul a Perusia.

Linus, Acron, Pennes in† Iani valle morati
Disparili studio, Cereris, naturæ, Aganippes.
Pane Ceres, Natura herbis grata, vnda Aganippæ.
Vir Linus, Barbatus Acron, Pennes & adulius.
Pennes Anglus, Acron Cretensis, Linus Hetruscus.
Linus Voce, metro Pennes, cythara inclytus Acron.
Pestis Acrona trahit, Linum rus, patria Pennem.
Patria quid largita? satis rus, omnia pestis.

C.I. Præceptori optimo post. 14. annos

66. Monosyllab.

Dum repeto aßidue mecum, sicut meus est — mos,
Qualia? quæ? quàm multa? quibus debẽtur? & a — me
Iure peti poßunt, vult Musa sacrare meum — cor
Christo, mox ea cognatis bona reddere, quo — rum
Ante mihi fuit vsus, enimuero cito rum — pit
Cor gratum meriti oblitus, tum metra tibi — dat
A quo rite fuit metrorum expreßa mihi — lex.
Non equidem post septem annos, sed plurima lust — ra
Postquàm transierint, cognatis pignora se — ro
Aut numquàm, timeo, referet sua: terue quater — ue
Sint vitæ quamuis mea stamina Nestoris an — ni
Præstitero nunquàm Christo me. poscere sol — am
Hoc superest igitur veniam, quia soluere pos — sum
Nil. vel id actutum facere, vt modo fit, petere — plus
Plus promittendo. sic quis reputabitur in — sons?

Clara suo Leonello.

67. Car. serp.

Serpentinũ dicitur quia reuoluitur eô finis vnde carmen coeperat.

Mi Leonelle veni, mea lux, mea magna voluptas,
Curarum requies, mi Leonelle, veni.

Ad F. C. aliud.

Te reducem schola nostra canit, clarißime Princeps,
Absentem patria quem schola nostra gemit.

Dum

Dum Orator diceret, ad Sug.

68 Car. Correlat.

Quia ordinate omnia verba inter se referũtur, atq; iusto ordine respondent

Horrida, lecta, graues: effata, vocabula, gestus:
Orno, loquor, signo: schemate, voce, manu.

De nostri temporis vsura colloquuntur

69 Sympathius, Echo.

S. O hominũ mores. E. ores. S. quid & vnde sequuntur
Clamores? E. ores. S. quis in hac sylua recidiua?
E. Diua. S. licetne affari? E. fari. S. Diua reclude
Cur toties eadem vox est repetita? E. petita.
S. Res nostræne petant ores? E. res. S. ista fuerunt
Tẽpora nõunq̃? E. nunq̃. S. causa? E. ausa S. quis ausus?
E. Vsus. S. fregit plebiscita? E. ita. S. pectora vulgi
Corrupit? E. rupit. S. verum magnatibus ecquid
Arrisit? E. risit. S. cunctos? E. vnctos. S. itane ille
Omnia peruertit? E. vertit. S. spes quanta superstes?
E. æs. S. Sed & hoc ruit. E. it. S. Simul ergo abeamus. E.
(eamus.

70 Ecloga.

Præsentem vates Theleon quærebat Iesum
De superis dominum, nec quo gauderet habebat,

Multum

Multum inter tristes, immensa volumina, libros
Quotidie versatus, vbi hæc non cognita Phoebo
Deditus & Musis animo voluebat amanti.
O prædulcis Iesu erat mea culpa, latebas
In me, lux speciosa, foras me traxerat vmbra.
Tunc etiam nemorum frondes, & gramina terræ,
Tunc teneros etiam sensus arbusta iuuabant,
Pluribus ac studijs defesso gratior annis
Dilia, castellumq; iocos præbebat inanes.
At mentem nihilo minus, vt tua facta recordor
Colle sub accliui, torquebat noxia vita.
Nonne foret melius risum iuuenilibus annis
Atq; minora dari certamina? nonne iocari?
Quamuis hæc pereunt, quamuis tu manseris idem.
O æterne Deus sacro me fige timore,
Corda superba ruunt, perstat submissa voluntas.
Neglectus mihi sim, tu nosti, dulcis Iesu,
Quàm multis resluo vitijs, quàm pronus ad ima.
Multa mihi perijt vanis in lusibus ætas,
Non tua crux in corde meo, non vulnera fixa.
Psallo quæ cecinit, si quando plectra mouebat
Pelignæ gentis decus, aut Flaccus venusinus.
Quàm sum ego deformis? iecit de pectore sordes,
Cum rabidum nuper transi mare, sed modo plures
Iudice me cumulo, mens & me læsa remordet.
O pura tecum liceat mihi viuere mente,
Et superas penetrare domos, ac regna beata,
Sanctorumq; melos mentis captare per aures.
Tecum vna in coelis tibi cantica mille sonarem.
Tu coelos Erebi victor conscendere primum
Dignus eras, tu pande viam, via plena laborum

Esto: per varios libet hinc transire labores.
Nos eadem haec docuit postquàm cecidisset Adamus.
Hoc mihi verba meæ, me nil meditante, parentis
Vltima suadebant, quamuis ego nil magis odi.
Et dixit lacbrymans, sis amodo seruus Iësu.
Audiui sane. sed enim ludicra placebant.
O lux, O coeli splendor tibi dona sororum
Sacra nouem referam, placido tibi balsama ponam
Diuitias Arabum libans, ac Thura Sabæa:
Me tantum magno in numero patere esse tuorum.
Improbus es, Thelcon, tua dona haud quærit Iësus.
Nec si carminibus tentes, his flectier ille
Diuitijsquè potest. longo post tempore castum
Pectus & attritum cor præbe, incendia amoris.
Me miserum sero tua quid mandata iuberent,
Consiliumq; volet, noui. quidquid fuit ante
Factum, non homini, non dijs reuocare licebit.
Quæ bona, dum sunt, nos fallunt. elapsa palam se
Ostendunt, moresq; hominumq; & pectora monstrant.
Ah Thelcon, Thelcon, nullo vnquàm tempore cuiq;
De nihilo fiunt homini bona. plurima semper
Quæ fugisse velis, præeunt virtute ferenda.
Quin commissa ergo teneræ delicta iuuentæ
Illachrymes, fortiq; feras mala pectore. forsan
Te complectetur, qui nunc fastidit, Iësus.

In nuptijs

In nuptiis Princip. Vrb. ac D. Fer.

71 Statuæ.

Simulachra cum ſuis inſcriptionib⁹ appello ſtatuas, atq. veteribus hic proprius epigrammatũ vſus erat. Quercus vrbinat: Aquila Ferrarienſium Ducum inſignia.

Fran. Mar. Dux Vrb. auus.

Prælia quæ geſsi, terra quæ paſſus & alto,
Clara meus dicet natus ad arma nepos.

Pietas.

Δένδρεων ἀντ' ἄλλων τῶ δώματ' ὀλύμπου ἔχουσι,
Δρῦς φίλος ἐστ', ἀετοῦ εἵνεκα φιλτέρα δέ.

Pax.

Militiæ depone ſagum, pone arma viator,
Aeternum ſtabit, quod modo Pacis opus.

Cupido.

οὐκ ἐνταῦθα βέλη παρ' ἐμοὶ ὁράονται μολύβδου.
τοῦτο μὲν ἐκβάλλω, ἀλλὰ βέλος χρύσεον.

Ad Ioan. Buchel. tria esse saluberrima

72 Linguis diuersis.

Pulchrũ est apud Germanos linguis diuersi. celebrari.

Dic mihi quæ tria tu, Buchelle, salubria dicis?
Hæc tria si fugias, otia, vina, venus.

Ελλ.

Ἔννεπε μοι Βουχέλλε, τα πράγματα σφόδρ' ὑγιεῖα
φεύγειν τον τ' οἶνον, κύπριδα, τήν γε σχόλην.

Ital.

Tre cose sono
Che faran vno
E bell' e buono
Come la Rosa
Fuggire il bere,
Et spurc' amore,
Et sempre fare
alcuna cosa.

Fran.

Or ie voy bien chose fort pretieuse,
tresbonne, tresexcellente,
Non estre palliarde, non estre otieuse
& boire honestemente.

Deütch.

Das thũ nimer mehr mugs crãk sein,
Enthalt dich võ hürn, spyll vnd wein

Englishe.

Three things there be moste soueraine
And fauorers of might,
Dame Venus, Bacchus, ydelnesse,
When they are put to flight.

De

De medicorum vita

73. Latine.

Ire†, sono, medici diuini se recreare i.ambulatione.
Diuina mente, & viuere næ e Lecytho.

Eadem verba Italice aliud sonant.

I re sono medici diuini.se recreare
Diuinamente, & viuerene è lecito.

De Sp.S.

74. Linguarum mixtio.

Sunt quibus arridet laudatus δῖος Αχιλλεὺς,
Et Rex Atrides, καὶ πριαμοῖο πόλις.
Vrbes, arma, duces omittam, δῶρα ἀείσω
δώματ' ὀλύμπι' ἔχωμ ἅττα δέδωκε θεός.

Epitaph. Pen.

75. Genera diuersa carm. simul. ἐπίμικτον.

Lõge diuersis modis pmixta carmina in Epigrámatum voluminibus reperies hoc ἐπίμικτον antiquũ est & vsitatum.

τῦτογε τῆς θνήτης κυθερείας, τῦτογε σῆμα:
ἥντε μίαν τέτοκεν τρις χάριτες χάριτα.
Νῦν κάλλος ἔρέει, ὅδ' ἐμὸν ὄλειται κλέος.

 Aliud

Aliud

Poesin Rhetori perdiscendam

Et Dorum numeros, & Lydia carmina, dulce
Quodq; sonant Iones, Aeolyq; melos,
Aut nosse debes Rhetor, aut fari nequis.

De quincunce initio.

76. Mixtio noua Her. Vers.

Posse nos noua genera effingere i schol. ostēdam.

Ponitor in Quincuncem arbos, effata Sophistæ
Multiplicent, varios potuit miscere colores
Quisquis Apellæa clarus in arte fuit.
An non hæc eadem poterunt fecisse Poetæ?
Forte minus, fortasse magis, si carmina plura
Sint quàm verba, suo lecta sed illa modo.
Qui legis, enumera, qua dixi spondeo. lecta
Terq; quaterq; legas, iterumq; iterumq; reuoluas,
Inuenies aliquid semper inesse noui.

Ad Ruffum pro soluta quæstione.

77. Genus aliud carminis ex alio.

Bartholus vel ipse Baldus, aut peritus quisquis est,
Iure soluere problema doctius meum potest?
Ruffe, maximas proinde gratias ago tibi.

Vna

Vna syllaba, iuncta fiunt Iambic.

Nō Bartholus, vel ipse Baldus, aut peritus quisquis est
In iure, soluere problema doctius meum potest.
O Ruffe, maximas proinde gratias ago tibi.

De meipso ad discipulos.

78. Carmen Recip. sensu contr.

Sedulitas mea vos c doctos, non fecit c inertes,
Fecit c Romanos, non c puto Barbaricos.

Responderunt Discipuli etiam car: recip:

Rhetorice tibi laus, commendant carmina, clarat
Plurima linguarum te tua cognitio.

79. Mimus.

Ridiculus puer.

O che goffa cosa è giouanettos tres ve quatros ve
Qui possent centum piazzatis fare galantum
Assidue, & totam andar a spasso per vrbem,
Quando sonat Pom, Pom: quando fit giostra, signore
Vel de lontano quisquam se adiungit, allhora
In schuolis clausos, veluti in prigione ladrones
Contra voluntatem non prospettare coellum?
Non ego tam fuero stultus, stabo in cerebello,

Et quamquàm grossas nequeo schifare parolas,
Has parlare volo potius quàm perdere spassum.
Plus iuuat vn giorno fessam Campagnia mentem,
Quàm Despauterij, Cicerones, Valla, Clenardus
Aut septem centum metra inuilupata figuris.

80. Metra vulgo dicta.

Versantus quidam sciolus
De luxu verba faciens,
Ait, si quando stimulus
Sit carnis in te pruriens:
Nullum dè vino vitium,
Aut splendidis ab epulis:
Tantarum sola litium
Natura causa fragilis.
Hanc quisquis vult compescere,
Vxorem cito quæritet:
Sin minus, adhærescere
Cuiuis nihil dubitet.
Nam venis tetra concitis
Libidine, connubium
Est vnicum sollicitis
Pro mentibus remedium.
Qui sic docebat populum
Cælebs, quadragenarius,
vel fuit is miraculum,
Vel equus emissarius.

Ad O.M.Italum.

81. Amphibologia positione incisi.

Dextre adeo loqueris, tam dextre agis omnia Olae,
Mancinus non iam, dexter vt esse queas.

In funere Ascanii Cornei.

82. Epicedium.

Qui colitis Martem, coelataq; tollitis arma,
Dum vacat, & mæstos carmina mæsta iuuant,
Flete pios cineres, & iniquam plangite sortem
Principis in fama cum meliore fuit.
Non hic Aeacidæ rogus, aut pira flagrat Vlyssi,
Non sunt Aemathij busta cremanda Ducis:
At pius Ascanius fatales ibit in ignes,
Flendus & Eöis, flendus & Hesperijs.

83. Ænos.

Corne, dum Tyberis fluet, viresces.
Erunt Teutonidæ? tui placebunt
Flores, dum gelidæ loco manebunt
Alpes, Cornea poma colligentur.
Dum stabit Melite, feres triumphum,
Dum Naupactus aget vagum per orbem
Fama Christigenas, erit superstes
Corni gloria, Corneumq; nomen.

Bellum Perusinum, Germanicũ. Subalpinũ Melitense. Naupactæa victoria CIƆ.IƆ.LXXI.

E.v. Elegia

84. Elegia.

παρὰ τὸ ἐλεῖν
Ouid. de morte Tibulli. nitida esse debet, nō pexa nec fabulis inquisitis obscura.

ANIMA. Tecum mortali dum coniungebar amictu
Corpore non poteram nobiliore tegi.
Namq; pium genium corpus dum forte gerebat,
Magnanimis gessi prælia digna viris.
Et mea diuersis Heroica facta reclusi
Gentibus, æterno concelebranda die.
Dux vel Naumachia, vel in obsidione, vel ausu,
Iudicio, aut celeris dexteritate manus,
Iure meo vi possem fama superare vetustos
Ductores, summos militiæq; duces.
CORP. Ad laudes igitur si operosū hoc corpꝰ habebas,
Gloriæ & ad metas, claraq; facta tua,
Cur bene compositam passa es dissoluier vmquàm
Compagem? ac tradi corpus inane rogo?
A. Quidquid mortis erat certa cum lege creatum,
Obseruare necis iura necesse fuit.
Sit satis infestam sæpe auertisse phalangem,
Atq; Pharetratos vi repulisse Getas.
Nunc cinis in cinerem redeas, quod fata reposcunt:
Quo me facta vocant, spiritus astra peto.

85 Μονῳδία

†Quinq; enī portæ sunt ciuitatis Perusinæ quiq; in montibus diuersis īstar astri positæ.

Ἀσκάνιος τέθνηκε, αἰάζετε †πενταπολῖται
οὕτως οὐδ' ἄλλον κλείοιτ' ἂν Ἀσκάνιον.
Κάτθανε Ἀσκάνιος πολεμάρχων πρῶτος, ἀοιδὰς
ὀξυτόνους θρηνεῖν σπεύδετε οἰνόβιοι.

Παντες θρηνεῖτ' Ευρωπαῖοι, αἰάζετε πάντες
  χριστὸν ὅσοι ἐφ' ὅλης γῆσ' κε σεβεῖτε θεόν.
Ασκανιου ἐξήλυθε ψύχη, ὅς Μαχομήτου
  μοῦνος ἰάψειεν ἂν πάντ' αἴδιγε στράτον.

86. Nænia.

Nunc, si vnquàm, lachrymas Perusini fundite ciues,
Namq; ingens vestræ concidit vrbis honos.
Et modo præ magno suspiria ducite luctu,
Surgat & æthereas plangor advsq; domos.
Et modo compressis præcordia tundite palmis,
Moestaq; belligero soluite busta duci.
Nam dulcem tenues vitam exhalauit in auras
Ascanius, patriæ fama decusq; suæ.
Ascanius, quo nemo alius vel amantior æqui,
Vel maior generis nobilitate fuit.

87. Epigramma.

Alij genus hoc Lemma dicunt.

Allobrogum post bella, ducis post Saxonis arma,
Perruptamq; aciem ter, Solymanne, tuam
Occidit Ascanius Perusinæ gloria gentis.
Mars quem non potuit sternere, morte cadit.

88 Dialogus.

Aduena, Genius

A. Hoc tumulo quisnam tegitur? G. nemo. H. lapis ergo
Mentitur, claudi hic indicat Ascanium.

G. Ascanius

G. Ascanius coelo regnat, fruiturq; perenni
Vita, inter superos nobilis vmbra Deos.
A. Clauditur ecqua igitur defuncti gloria, per quam
Extinctis iterum viuere posse datur?
G. Clauditur illa graui non saxo, clauditur orbe,
Orbem huius tumulum nominis esse decet.
A. Molliter Ascanij Cornei precor ossa quiescant,
Cuius fama orbem vendicat, vmbra polum.

IO. RVSSELLI COM. Bedfordiæ

89 Epitaphium

Inuida clauserunt Russellum hoc fata sepulchro
Belligerum, patriæ spemq; decusq; suæ.
Viuus erat virtute altum super æthera notus:
Late, post obitum, fama superstes abit.

Guidalotti litteris respondet.

90 Epistola

Quid frustra ex imo suspiria pectore ducis?
Et pia sollicitans fletibus ora, gemis?
Non obijt, nec obire potest, a funere viuet
Ascanius, mors hæc vita perennis erit.
Nec Phlegetontæum litus, neq; ditis auara
Limina, sed superas iam tenet ille domos.

Siue

Siue etenim sanctas regeret moderamine leges,
Ipso nil toto iustius orbe fuit:
Siue grauem bello Martem sequeretur, & arma,
Signum pugnandi cum tuba rauca daret:
Primus erat medias solitus lustrare phalanges,
Vltimus inflixit vulnera, prima dedit.
Barbarici cecidere duces, confracta Selini
Classis, ouans rediit victor & Ascanius.
Ecquid placato restabat Marte, supernos
Quin inter fieret nobilis vmbra Deos?
Atqui longa genas ne spargat epistola fletu,
Concludo: in longum mi Guidalotte vale.

91 Epodos.

Quia singulis longioribus versibus singuli breuiores accinuntur. Ma. Victor. Diomedes.

Numquàm profundæ fertur ad Lethes vadum
Virtus virorum splendida.
Ascanius altum Corneus Olympum petiit,
Celsusq; habet superum domos.
Viuatis ergo strenui, nec vos trahet
Fatum per vndas tartari,
Sed quum suprema clauserit vitam dies
Pandentur ædes gloriæ.

92 Rithmus *

* Monachorũ & fraterculorum vers9 ad augendã memoriam fere sunt huiusmodi, Itẽ regulæ conputistarum suorum.

Hic Augustinus iaceo post fata supinus,
Corpore per bellus, cognomine Dimicarellus,
Rarus in offensis, mihi patria zonhouiensis.

Rerum

Rerum discretor, Logicus, Grecus, quoq; Rhetor.
Sæpe fui potus, sed honestus cætera notus.

Ad F.P. de morte suorum

93 Threnus.

Versu intercalari

Threnũ frequens nõis alicuius cõmemoratio aut rei valde ornat. qualis ille Dauidis Reg. 2. ca. 18

Perpetuis heu quassa malis, heu fracta dolore
Assiduo Fului pectora Paulucij.
O Parcas, O fata piam prædata iuuentam,
Dura seni patruo numina, dura patri.
Ecquis erit tandem finisve modusve ruendi?
Clausula continuæ nullane mortis erit?
Sumite lugubres mea carmina sumite vultus.
Ah nimis ex vero causa dolore venit.
Ibat ouans dudum, Cephalenen inter & vrbes
Alcinoi, gentis gloria Pauluciæ.
Gloria †Pentapolis Ludouicus: fortior alter
Nullus erat ductor foederis Hesperij.
Præpropere, iuuenis, tum cum sperare iuberet
De virtute sua nil nisi magna, cadit.
Sumite lugubres mea carmina sumite vultus:
Luctus causa mei, Dux Ludouicus obit.
Illa seges, fons ille noui Mariottus honoris,
Spes Laurentini concidit vna chori.
Hei mihi cur tetuli paucas in funere laudes?
Ille fide plenus vixerat ac meritis.
O si vel finem lachrymis lux illa tulisset,
Sed finem lachrymis non tulit illa dies.

†Perusiæ.

Ter

Ter fuerant reparata nouæ iam cornua Lunæ,
Luctiferamq; togam Fuluius exuerat:
Ecce iterum fulmen. viduatus coniuge multos
Ante annos, ipse Sforza parens moritur.
Sumite lugubres mea carmina sumite vultus:
Funebres imo pectore ferte sonos.
Et Fuluij fratrem, ac patruum lugete, patremq;
Et Fuluij diras moesta dolete vices.

Ad eundem versu intercalari

94. Somnium.

Nõ inuenusta esse solet eiusmodi in versu itercalari antithesis.

Ponite lugubres, mea carmina ponite vultus.
Me causa in luctum nulla vocare potest.
Nam nec in Ionia mansit Ludouicus arena,
Clauditur Hetrusca nec Mariottus humo.
Æthereas adiere domos, adiere suprema
Tecta Dei, summis semper aperta viris.
Quin etiam Sforzæ, nisi nullam certa merentur
Spectra fidem, coelo composuere locum.
Ponite lugubres, mea carmina ponite vultus:
Ponite, solemnem concelebrate diem.
Tempus erat quo, Phoebe tuos, per cornua Tauri
Totum Luna diem tarda, petebat equos:
Occiduis Virgo iam se tingebat in vndis,
Conspicuus medio corpore Piscis erat:
Sforza mihi cum vectus equo, Maro quem vel Iüli,
Aeneæve olim dixerat esse patris.
Vectus equo, læta iuuenum comitante caterua,
Vrbinum versus tendere visus erat.

CIↃ.IↃ.LXXij VI. Id. Mai. bene mane.

Talia

Talia iocunde meditanti clamat Alector,
Surge, tui Fuluij Sforza parens moritur.
Hic ego. quin viuum dicas, Herois & instar
Ad coelos vectum, non potuisse mori.
Fuluius ipse, puer neque enim seruantior æqui,
Credo equidem patris lætus honore sui est.
Ponite lugubres igitur mea carmina vultus:
Saui nulla mihi causa doloris erit.

95 L.P. Elogium.

Nō inuentu. sta esse solet eiusmodi in versu iterca lari antithe. sis.

Paulucia spes vna domus, Ludouicus ad arma
Natus, obit, belli gloria, pacis honos.
Siue quis armorum, seu pacis iura petebat,
Ille senex Nestor, Troilus ille puer.

De morte P. Ansidæi

96 Consolatio.

cIↃ.IↃ.LXXij vi. Id. Mai. bene mane.

Nemo senectam, bella nemo lacrumet,
Febrimve morti proximam.
Auram iuuenta Persianus florida
Captans, fenestra decidit.
Scilicet, id est, quod aiunt, certæ necis
Incertus impendet modus.

De

De morte Panthæ

97 Βιαίου.

Os o candidulum, genasq́ pulchras,
O pectus roseum, O manus decentes,
Crudeli O nimium secata falce.
Pantha quin superum choros frequentat
Laudis purpureæ decora veste:
Pantha clara magis, recentiorq́
Longæuos Pilij manebit annos.
Foelici o nimium secata falce.

Quod violẽter affectum doloris in cõtrarium sensum retorqueat.

Ad Bustum G. fratris.

98. Lachrymæ

Wiccammi per vtramq́ domum, Thamesiq́ relicto
Aequora Teutonici per spatiosa maris,
Inferior natu quamuis tua iussa secutus,
Te tandem Scaldæ in littore deserui.
Aestates nam quinq́ potens me terra petebat,
Qua Rhenus gelidas voluit, & Oenus, aquas.
Inde Padum superans, Tyberina ad flumina Musis
Dimidio lustro carmina concinui,
Cum grauis immeritam percellit nuncius aurem,
In tristes lapsum te, Gulielme, rogos.
Hei mihi quis mentem sensus? quæ pectora flammæ
Vsq́ tuas retrahunt, frater ad inferias?
Adria non tumidus, non docto clara Catullo
Aequora, non Alpes nubibus irriguæ,

Gallica vel tenuit strages: non perdita bellis
Flandria, non acies terruit Hannonia.
Quo minus hæc nostræ, multo manantia fletu
Munera Calliopes ad tua busta darem.
Quo minus hoc possem tumulo superaddere carmen
Fraterno motum pectore, voce, manu.

Quod violeter affectum doloris in cōtrarium sensum retorqueat.

99. Numerosum Carmen.

1572. *gVILLeLMI angLIgenæ transIs hIC ossa, VIator,*
præsbIterI, angeLICos Ipse Choros abIIt.

100. Conclusio

Hoc vnum superest, nugis imponere finem:
Plus neq; enim nugis carmina nostra puto.
Versibus excellunt Itali, sunt splendida Gallis
Lumina, & obscuris lux radiosa Scotis:
Angliæ ego splendor neq; sum, neq; clarus haberi
Luce velim, excutio, qua licet arte, focum.
Scilicet hinc ætas accendat vt altera flammam
Cuius inardescant lumine mille faces.

SCHE-

SCHEMATVM
ELENCHVS.

Illata

Paean

FINIS.

[illegible]

FINIS.

IN SVORVM POEMAT. LIBRVM RICARDI WILLEII SCHOLIA.

AD

Custodem, Socios, atq; Pueros Collegij Wiccammici apud Wintoniam.

His accesserunt C. Ionsoni Poëtę eximij carmina de vita ac rebus ab eiusdem Collegij Fundatore gestis, tum Custodum siue Præsidum atq; Didascalorum omnium series ab eodem distichis explicata.

(.·.)

LONDINI.

Ex Bibliotheca Tottellina.

CIƆ. IƆ. LXXIII.


HONI:SOIT:QVI:MALY:PENSE:
MANERS
MAN

R. WILLEIVS

Custodi, Socijs, atq; Pueris Collegij Wiccam. apud Winton. S. D. plurimam.

DIfficile studium, Wiccammici, atquè haud sciam, an de ijs omnib' quæ in sermone excolendo atq; humanitate ponuntur, longe difficilimum ars poëtica est natura sua; tũ propter molestissima Censorum fastidia, & quorundam Poëtarum ineptias multis facile calumnijs obnoxia. Nam quum imitatio, hoc est, euidens ac perspicua rerum effictio & expressa versibus imago, finis Poëticæ sit, eaquè alium posteriorem ad finem referatur, quem in docendo similiter atque delectando optimi quique Poëtæ collocarunt: quis inusitatum adeò salem est consecutus ac leporem? quis tam incredibili exemplorum varietate & copia instructus? vt quosuis homines afflictos erigat? quęcunquè flagitiosum coerceat? studiosis quibusq; addat carmine animos? legatur à singulis? placeat vniuersis? omnium ora atque oculos in se conuertat?

Arist. in Poet.
Plato in Protag.

Et tamen diuersissima hominum ingenia, quorum tot sententiæ quot capita, nullum non poëma ingeniose excogitatum, elaboratum industria, perfectum arte contemnent, nisi Vertumni instar, aut Protei, illud eos ipsos colores induat, quos, qui legit, in eo genere sua sponte quodam modo probare volet. Nam vt sermonis Asiatici, aut Attici, aut etiam Laconismi nullam penitus mentionem faciam, quod quidem caput in poëtica esse debet, quotusquisq; idem scribendi modus, pro rei natura sublimis, redundans, humilis, pressus alijs atq; alijs non videtur? Non dicam hoc loco versibus dumtaxat Sapphicis aliqua ingenia duci, nonnullos homines Iambis tantum flecti, multis Heroica sola carmina placere, neminem omnibus omnium metrorũ generibus delectari; grauitatẽ hic amat, ille acumen, alter vim, ille acrimoniam, ille suauitatem postulat. Quare pingues Horatij sermones quidam arbitrantur, libertatem Catulli, Tibulli molliciem, Propertij, vt ita dicam, grandiloquentiam criminantur, Virgilio ingenium derogãt,

Oui-

Ouidiũ humi ſerpere, Statium laſsitudine quadam animos afficere contendunt. eius rei cauſa vna inſcitia eſt:

Quæ nil eſſe putat, quod non facit ipſa, decorum.

Iam vero Cenſores pleriq; ſatis multa ſcripta fuiſſe à veteribus arbitrati, dum vel nouos omnino Poëtas reijciũt, vel tacite, quas ipſi norunt argutias, tanquã myſteria tenent, vel horridulos atq; incomptos aliorum verſus fallaciter collaudant; id mali Poëticæ afferunt, vt multum diuq; ea in re verſati iuuenes abſolutionem perfectionemqúe vllam conſequi nequeant; ſin qui poſsint, ingenioſiores profiteri illud pertimeſcant: mediocriter docti, ſi quando ſua carmina in vulgus ædant, modo nullũ operi nomen inſcribãt, laudem neſcio quam obſcuram difficile mereantur. Vſu enim venire videmus, vt quorum Poëmatum auctores de facie cognoſcimus, eorum laudi ac gloriæ pleriq; inuideamus; cæteroqui ipſis e carminibus artem elicere ſtudeamus, quam neq; auctor ipſe animaduerterit, non modo laudibus cumulare. Deniq; peſſimos ego illos Poëtas nullo vnquàm

tẽpore vobis probare cupio, qui ſimul atq; lecta è triuijs vocabula verſu incluſerint, ea ſtatim admiranda venditant, quàm multa, non quàm bene ſua ſcribant carmina, diſpiciunt; quorum carmina ſi molli brachio caſtiges, bilẽ ipſis commoueas; qui obſcure iccirco & difficiliter ſcribunt, vt Grammaticæ doctoribus negotium faceſſant, atqué hoc pacto laureolã, quod aiunt, in muſtaceo quæratur. Ea igitur Poëticæ natura cum ſit, ij Cẽſorũ mores, eæ Poëtarum aliquorum ineptiæ; quid mihi non maxime, vtinam mediocriter in hoc genere exercitato, Præſes ornatiſſime, ac ſocij faciendum putatis? immo vero quid prima ſuſceptione operis facere debebam? nihil omnino typis dare? At Gallis, Germanis, Italis, quibus publice hoc genus exercitationum tradere ſum ingreſſus, præſtare me oportebat; noſtratibus quoq; parendũ fuit, qui vel cupienti mihi iam latere obſtiterunt. Poſteaquã vero inibi eſſet, vt æderentur, Deus bone, quãtas ego ſtrages extimeſcebam? cùm pręſertim Homerus ipſe, cuius perſpicientiam Ariſtoteles

Lib. de Poet.

ſtoteles cęteris omnibus anteponit, ſecurus a Zoili morſu eſſe non potuerit. Quid igitur? nempe quod optimo ac pręſtanti ingenio & doctrina, cum ſcribendi tum dicendi artifices monent, leuiſſimas imperitorum hominum voces flocci facere, ſcripta noſtra illis, antequàm diuulgarentur, expẽdenda relinquere, qui nihil ſimulare, nihil diſſimulare ſoleãt, qui quibus oporteat locis, miniata cærula, quod Atticus fecit, illa notare poſſint ac velint. Et ſane Criticorum nemo in metu eſſe iuſſit, diſiunctiſſimę nationes, maximeq; diuerſa ingenia diſsimiliũ hunc Poëmatum librum vehementiſsime comprobarũt. Difficiliter autem & obſcure dictum à me quidquid eſſe videbitur, id nullo meo vitio, dicam ingenue, ſed inuſitato plane atquè admirabili artificij genere contingit, hoc quantumcunq; eſt tenebrarum quamuis perpolita eruditiſsimorum hominum ingenia latere nequeat, quoniam quidem opinor omnium veterum Poëtarũ bibliothecas excuſſerũt, omnem antiquitatẽ perluſtrarunt, quidquid adoleſcentiores acade-

miæ fingant, nullo negotio mente cō-plectuntur; tamē quia nostræ elucubrationes captum pene puerilē superant, nō graue duxi aliquod Scholion ad tyrones elimare, quò facilius a teneris animis cogitatione cōprehendi possent. Illud, quoniā apud vos, Wiccammici, in manibus tuis, Præses vigilantissime, educatus fuerā, vobis, quos in Christo Iesu complector vniuersos, et Collegio vestro parenti optimæ & educatrici προσφωνεῖν volui; ne quā puerilē educationem doctrinamq; ineunti ætati apud exteras gentes tradidi, eam domi illis pueris denegarē, qui cæteris toto orbe terrarum adolescentulis ad morū honestatem, doctrinam, pietatem, iter preeunt. oro vos atq; obsecro, vt non leuissimā hanc significationē voluntatis meæ sūma animi alacritate ac lætitia ad studendum comprobetis. Valete, & me quod facitis, amate.

LONDINI

Idib. Octob.

CIϽ. IϽ. LXXIII.

De re Poetica Disputatio.

QVAMQVAM certo mihi persuadeam non esse in vobis, VViccammici, aliquos a studio Poëtices alienos, quippe qui iccirco ad nobilissimum istud bonarum artium emporium venistis, vt inde præter alias humanitatis capsulas, pigmenta etiam coloresq; Rhetorum atq; Poëtarum cumulate domũ referretis; adeoq; in illum ipsum finem parens noster optimus, & addite si quid vultis, Wiccammus pulcherrimum hoc domicilium, quod habetis, fundauit, prædia quibus fruamini, donauit, Custodem, tutores, magistrum dedit, vt quod optime de collegio vestro meritus ille cecinit,

Musarum in studijs Rhetoricesq; tropis

Eruditi Oxoniũ tãdẽ aliquãdo cogitaretis, ramẽ quia nostris tẽporibus ἄμουσοι quidam homines ac plane barbari non modo Philosophiam, hoc est, sapientiæ studium contemnunt & aspernantur, verumetiam Rhetoricen atq; Poeticen, scientias liberalissimas, adeoq; omnem humanitatẽ reijciunt a se penitus, ac foribus pellere conantur; grauiter ac moleste ferebam nobilissimas ac pulcherrimas artes, quasi indicta causa, non sine iniuria, summa cum ignominia, vel ab imperitissimis aduersarijs condemnari. Erit, erit tempus, quando Philosophiæ patrocinium non deseram, & iam forsitan commentor; suus erit Rhetoricæ defendendæ locus. Iste vero Poëmatum liber nunc primum manibus e meis extrusus flagitabat, si non grauissimam Poëticæ defensionem aliquam

liquam

liquam saltē eius explicationem requirebat, qua intelligerent omnes honestissimam Poëticæ naturam, tum vetustissimam poësios originem, præstantiam, vtilitatem, ac iucunditatem penitus inspicerent, ac demum firmissimis rationibus hanc partem humanitatis contra leuissimas obscurissimorum hominum voces munitam esse cognoscerent. Erunt igitur nostræ disputationis partes tres. Primo commentarium de Poëticæ natura atq; ortu, de Poëtæ significatione, diuersisq; Poëtarum generibus, de origine metri atq; vsu carminū diuersis ex auctoribus colligā. Deinde Poësios dignitatem, vtilitatem, atq; iucunditatē tribus pronunciatis quàm potero breuissime explicabo; infinitas alij alias in hanc sentētiam rationes excogitabunt scio. Postremo importunas calumniatorū Poëticæ artis voces in medium adferam, immo etiam fortasse plures longe, quàm isti ipsi aliquando nouerint, calumnias congeram, vt ijs diluendis apertissime cognoscant illi quāta cū iniuria Poëticen vituperēt, & quàm turpiter hallucinētur. Qui vero hactenus poëticę ortū atquè amplitudinem aut neglexerint, aut non sciuerint, aut parum firmi defendere potuerunt: posteaquâm depromptam e media philosophię ipsam viderint explicatius euolutam, atq; verissimis rationibus firmatam; confido iam fore constanter vt poësin tueātur nō modo amēt atq; āplexētur.

De

De Poeticæ natura atq; ortu, De Poëtæ significatione, diuersisq; Poëtarum generibus, De origine metri, atq; vsu carminũ Commentarius.

RES omnes naturæ, quod sapiẽtissimi Philosophi statuerunt, aut necessarij, aut vtilis, aut delectabilis genere continentur, eorumq; omnium interpres est oratio. huius interuentu ciuiles conuentus indicuntur, excoluntur artes, necessitudines hominum hominibus intercedunt, & quidquid demum facimus, proponimus, prohibemus, illud omne fieri sermonis beneficio est existimandum. atq; hæc prima virtus orationis fuit, cuius mox amplificatus est vsus, additis rudi atq; inchoato corpori quibusdam quasi dimensionibus ac lineamentis, vnde certa lex dicendi orta est. Postremo ornatus tanquam vestitus quidam et cultus accessit, quo iam firmata & animata quodam modo materia splendesceret. Quare fines quoq; haud dissimiles habuit. quippe ob veritatem indagandam inter Philosophos expressit orationem necessitas: propter vtilitatem vero ciuili prudentia exculta est: ad theatra illam demum traxit delectatio. atq; illam quidem sapientum, circumscriptam argumẽtorum contracto ambitu, orationem breuem esse decuit, ipsiq; naturę, quam explicat, parem. In foro autem, atq; inter milites licuit esse fusiorẽ pro re, loco, tempore, personis, cuius ars oratoria dicta est. Tertio modo res maiori cum ornatu exponuntur, Poësisq; dicitur, propterea quód non solum

ſolum vocibus res ipſas imitaretur quę eſſent, verum etiam quæ non eſſent, quaſi eſſent, & quomodo eſſe vel poſſent, vel deberent, repræſentaret. Quamobrem totum in imitatione tertium hoc genus orationis eſt poſitum: atq; iſte eius finis ad illum alterum extremum nos ducit, nempe cum delectatione docere. Siquidem Poëta etiam docet, niſi ſi quis illud Poëticæ negauerit, quod omni orationi commune eſſe conſtat; audienti ſignificare, eumq; docere vel rem, vel animum loquentis. Quocirca recte Euripides apud Ariſtophanem interrogatus, quænam potiſsimũ virtus excitare nos poſſet ad poëtę cuiuſpiã admirationẽ? reſpondit. Si recte ciues inſtruere nouerit, quo pacto fiant meliores. Id quoniã imitatione metrica iucunde fiebat; & a faciendo verſu Poëtæ, & a doctrinæ præſtantia vates, qui in ea facultate pręter cęteros excellerent, dicebantur. Quemadmodum enim vatibus nomen a ſumma humanæ mentis vi, qua maxima quædam, quæq; ſunt ſupra hominem, fari poſſunt, impoſitũ fuit: ita παρά τὸ ποιεῖν, quod facere ſiue ex aliqua, ſiue ex nulla materia ſignificat, non a fictione continua, quod quidam temere fingunt, Poëtæ nuncupantur. Eſt igitur Poëta metricæ imitationis, ſiue operis eiuſmodi effector. Opus ipſum quod efficitur, Poëma. Poëſis, ratio atq; poëmatis forma. Denique ars qua docemur, & ad hanc inſtituimur conformationem, quam poëſin diximus, Poetice eſt. vt ſit gratia exempli, Homerus Poëta, Ilias Poëma, ratio, forma, atq; ingenij conformatio ſecundum quam Ilias facta eſt, Poëſis; habitus ipſe præceptis artis, ſtudio, & exercitatione comparatus, Poëtice. quemadmodum εὑρέτης inuen-

In Ranis.

Vates.

Poeta.

Poema.

Poeſis.

Poetice.

Vulgo tamen ſæpe idẽ Poeſis atq; Poetice ſonant.

inuentor, εὕρημα id quod inuenitur, inuentio εὕρησις, ars inueniendi εὑρητική.

Non raro etiam Poesis ac Poema eodem in sensu accipiuntur.

De tempore quo primum coli cæpta est Poëtice, quid dicam? Simul enim cum ipsa natura humana extitit vis hæc numerosa, qua versus clauduntur. Nullum siquidem momentum vocis est, quod non habeat qualitatis modum & quantitatis. est in eo sita qualitas, quam acutũ et grauem sonum appellamus, est in temporis interuallo quantitas, ac mensura. Postquam vero maiori spiritu res nouæ addi veteribus pridem inuentis cæperant, qui hac gloria inferiores numerose quasdam simplices narrationes tantum meditabantur, Versificatores dicti sunt.

versificator

Sat quibus est versum pedibus concludere senis. *August.*

Qui vero sibi Musarum tutelam atq; patrociniũ vendicarũt, hoc est, altiori quasi spiritu, quę alios latebãt, excogitarũt, (a μυέσθαι enim et μυῶσαι Musæ nominantur) illos Plato poëtas ἑρμηνέας καὶ ὑπηρέτας θεῶν vocat. Vnde quidam definiuerũt poëtam: Hominem, qui spiritu diuino afflatus magna egregie, appositeq;, cum admiratione loqueretur. Poëtarum autem duo constituerunt genera. Vnum cui cælitus aduenire credebatur illa vis diuina, aut natura; nec opinanti, aut simpliciter inuocãti; quo in numero seipsum ponit Hesiodus, Homerus ab omnibus ponitur. Alterum genus acuisse merum dicitur, quorum e numero fuisse Ennium Horatius ait.

Poeta.

A spiritu Poetarũ genera duo.

Ennius ipse pater numquam nisi potus ad arma
Prosiluit.

Ex eo-

Ex eodem quoque numero ipsum fuisse Horatium autumant. Sophoclem etiam illud Aeschylo obiecisse legimus. Vinum, non ipsum fuisse illius auctorem tragædiarum. Tum ab ætate genera poëtarum tria cognoscuntur. Primum vetus illud, priscum, rude, & incultum, quod sui tantum suspicionem sine memoria reliquit, nisi in eo principem Apollinem censeamus. Alterum illud graue, vnde primum Ethnica theologia & mysteria extiterunt; quales Orpheus, Musæus, Linus, Olympus. Tertij sæculi Homerus auctor & parens est habitus, quē Hesiodus atq; alij sunt insequuti: quamuis & ante Orpheum & Musæum Syagrius poëta belli Troiani scriptor primus, & ante Homerum Orebázius Træzenius, Daresq; Phrygius floruisse credátur. Deniq; ab argumento seu professione tot censeri possunt classes poëtarum, quot rerum genera quæ scribuntur. Tres præcipuæ tamen semper extiterũt. Prima Theologorum, cuiusmodi Orpheus & Amphion, quorum opera tam diuina sunt habita, vt rebus etiam inanimis mētem addidisse crederentur. Altera classis philosophorum est, qui res naturæ scribũt; quales fuerunt Empedocles, Nicander, Lucretius, Aratus. Tertiæ classis poëmata de moribus erant; Politicum a Solone ac Tyrtæo æditum; Oeconomicum ab Hesiodo; cōmune a Phocilyde, Theognide ac Pythagora tractatum, quò cæteri ferme omnes alij poëtæ quorum opera vsu terimus, referuntur.

Ab ætate Poëtarũ genera tria.

Ab argumēti varietate Poëtarũ genera tria.

Metri origo.

Metri origo a Deo opt. max. est, quippe qui hunc mundum & quæcunq; eius ambitu continētur, certa ratione, quasi metro composuit, vsq; adeo

adeo vt harmoniam in cœlestibus terrenisq; rebus Pythagoras confirmarit. quo enim pacto mundus consisteret, nisi certa ratione ac definitis numeris ageretur? omnia quoque instrumenta, quibus vtimur, mensura quadam .i. metro fiunt. quòd si hoc cæteris in rebus accidit, quanto magis in oratione, quæ res omnes interpretatur? Diodorus etiam Siculus, tametsi fabulas sequitur, quum de Musarum officio disputat, metri tamen inuentionẽ Ioui, quasi diceres, Deo immortali, ascribit. Musis, inquit, a patre concessa est literarum inuentio, & carminum ratio, quæ Poësis appellatur. Atq; ita metrũ a Deo initium habuit, quò apud mortales diuini eius vates primum vsi sunt.

Vsum vero poëticæ, si cum Eusebio considere res, apud antiquissimos Hebræorum, qui multo ante Græcos poëtas fuere, primũ extitisse ac floruisse comperies. Nam Moyses magnus ille Hebræorum imperator, quum ex Aegypto eos in patriam reduceret, simulatq; mare rubrum, cædentibus aquis, traiecerat, numine diuino afflatus, hexametrum carmen, quo Deo gratias ageret, dedit. Tum Dauid Vates ille diuinus vario carmine hymnos composuit. Expeditus enim a prælijs & periculis, quum iam altissima pace atq; otio frueretur, cantica in Deum hymnosq; vario metro composuit. Idem quoq; D. Hieronymus quodam in loco disertissime atq; elegantissime docet, cũ scribit. Quid psalterio canorius? quod in morem nostri Flacci & Græci Pindari, nunc Iambo currit, nunc Alcaico personat, nunc Sapphico tumet, nunc semipede ingreditur. Quid

Li. de prępar Euangel. 2.

Vsus poeticę.

Ioseph. li. 2. antiq. Iud.

Ioseph. lib. 7.

Prefat. in Eusebij chronicon.

Deute-

Deuteronomij & Isaiæ canticis pulchrius? quid Salomone grauius? quid perfectius Iob? quæ omnia hexametris & pentametris versibus composita decurrunt, non immerito igitur huius artis initium secundum Deum Hebræis acceptum ferre debemus, veluti cæterarũ quoq; pene omnium disciplinarum. Quid quod aliorum etiam vatum oracula versibus ædita sunt, quod Lactātius ait, & Horatius in arte poet.

Lib. 1.

Dictæ per carmina sortes.

Verum e Græcis Orpheus poëticam primam illustrasse memoratur, deinde Homerus atq; Hesiodus, Latini serius illam acceperunt. Secundo enim bello punico quasi ciuitate donatam Gellius scribit.

Punico bello secundo
Musa pennato gradu
Intulit se bellicosam
Romuli in gentē feram.

De poëticæ natura, poëmatis ac poësios significatione, De poëtarum diuersis generibus, De Metri origine, De poëticæ vsu, ortu, incremento hactenus.

Poeticam esse præstantiorem cæteris artibus.

Thesis 1.

CAeterarum rerum perfectio, doctrina, studio præceptis, & arte constat; Poëta (inquit Cicero)

cero) natura ipsa valet, ac mentis viribus excitatur, vnde & oratores fieri, & poëtæ nasci dicuntur. At quæ natura, nullis vitiorum tenebris obscurata, in lucem exeunt, multo pręclariora censeri debent, quàm quæ fiunt arte. *a rei natura.*

Poësis fere scientias omnes in se continet: etenim adeo multiplex eruditio poëtarum est, & summis necessario emolumentis coniuncta, vt nō defuerint, qui orationem solutam videri imitationem poëticæ multis argumentis demonstrare conati sint: quasi primū prodierint poëtæ, deinde qui metrū soluerint, Cadmus, Phæretides &c. id quod interpres Homeri scriptū reliquit. ex quo sequitur vt oratorię dictionis atquè artis dicēdi fons quodāmodo ipsa sit poëtica. Quamobrem legitimos verosq; poetas laudamus, quales in Gręcis Orpheus, Homerus, Pindarus; apud Latinos Virgilius, Horatius, Ouidius; quòd in suis libris innumerabilium prope artium scientiarumq; semina insperserint, planeq; adeo omnia expresserint, vt in singulis artibus ipsos elaborasse fateamur. Merito igitur Plato in Crat. inquirens qui sint verorum nominū Doctores, Sophistas irridet, & poetas cēset adeundos, nec vero quoslibet, sed diuinos dumtaxat, quasi a dijs illi vera nomina rerum didicerint. *Ab amplitudine.*

Ex oībus artibus quę ab humani ingenij vi percipiuntur sola poetice a diuino furore proficisci putatur. Nam poetæ quodā spiritu diuino afflati, res admiratione & stupore dignas canunt, sine quo furore ac spiritu magnos esse poetas, apud Ciceronem Democritus negat, quippe qui tum demū veri sint vates, cùm insaniunt. Quare Plato poesim insaniam diuinā appellat. Diuini autē *A causa effectrice.*

 furoris

furoris insaniæq; nomine Plato nunc animæ abstractionem a corpore, & nexum quendã intelligit, quo anima ad superos trahatur, & vehementius adnitatur; nunc poeticum furorem esse statuit quandam a Musis occupationem, quę facilẽ sortita animam excitet, ac per cantilenas exagitet, alatq; poesin ad humanum genus recte instituendum. Ad hæc adiungit, inanem esse hominẽ ac prorsus irridendum, qui absq; Musarũ furore poeticen tractet, quippe quę tanti est, vt sine Dei numine valde prolixo cõparari nequeat. Immo vero, inquit apud Platonẽ Socrates: musa diuino instinctu concitat poetas, conciti poetæ alios furore corripiunt. in Phœd. deniq; sapientissimus vir, non hominũ esse inuenta pręclara poemata, sed cœlestia munera confitetur. Tametsi quę de hoc furore, insania, spiritu poetico ab istis auctoribus dicuntur, non ita accipi volumus, neq; in eam sententiam a nobis afferuntur, vt persuadere conemur non futurũ poetam bonum, nisi plane fuerit insanus, etiamsi insaniam intelligamus eo modo ac sensu quo Plato eam significabat. Fuit is antiquorũ error, & amentia, quos arbitrio suo cacodæmon delusit. Diuino enim afflatu & instinctu carmen fundere propriũ non poetarum, sed sacrorum vatũ est. Sed iccirco hęc veterum testimonia vsurpamus, vt eorũ iudicio diuina esse poetarum ingenia, pręstantissimamq; ipsorũ artẽ clare perspiciatis.

Ab auctoritate.

4 Asserit Strabo in sua Geographia sapientissimos quosq; homines & eloquẽtissimos, qui de rebus poetarũ dijudicare aliquid potuerunt, primã quandam philosophiã poeticen nuncupasse, quæ

nos

nos ab iueũte ætate prȩceptis recte viuẽdi, & institutis recte sciẽdi informet, quȩ mores edoceat, quȩ res gestas cũ voluptate perscribat. Posteriores vero docuisse: solum poetá esse sapientem. Quare Græcorum ciuitates initio hoc institutum seruarunt, vt liberos in poetica erudirent, nõ voluptatis, sed castimoniȩ atq; honestatis gratia. Et Socrates in repub. contendit hymnos, laudationesq; in optimos viros, admitti in ciuitatem oportere. Demũ in Lyside poetas adeo miratur, vt eos Sapientiæ patres ac duces appellet.

A præmijs.

5 Nullam artem tanto in honore apud veteres fuisse declarát honores poetis habiti, & prȩclara de ipsis opinio, existimatio, fama, gloria. Nam & Plato Homerũ tanti fecit, vt moriens, eius libros capiti subiectos habuisse narretur, & Alexander magnus, capto Darij regis vnguẽtorum scrinio, quod erat auro gemmisq; et margaritis pretiosũ, id Homeri librorũ custodiȩ dedit, vt pretiosissimũ humani animi opus quá maxime diuiti opere seruaretur. Idẽ Pindari vatis familiȩ penatibusq; dum Thebas euerteret, parcere imperauit. Archilochi poetȩ interfectores dicitur Apollo Delphicus arguisse. Sophoclẽ tragici cothurni principem defunctũ sepeliri Liber pater iussit. Quid? nonne septem populi de Homeri patria contendisse dicuntur? (*Athenæ? Smyrna, Rhodos, Colophon, Salamin, Chios, Argos,* Quàm carum fuisse Africano superiori Ennium existimamus, quem in bello socium habuit, vita functũ sepulchro Scipionum donauit ac statua? Quantopere contendit Cicero, vt Archiá in ciuitate retineret? quanta orationis vbertate poeticam ornauit? Prȩtermitto Virgiliũ atq; Hora-

 tium,

tium, vtrumq; Cęsari Augusto charũ, aliosque in-numeros, quorũ neminem sua laude, pręmijsque atq; honoribus caruisse legimus.

Ab vsu. Ac ne quis existimet hanc artẽ Ethnicorũ esse propriã, scilicet ab animis Christianis alienã; maiorum nostrorũ monimenta quæso memoria repetite. Equidem reperietis multos sapientissimos patres, atq; sacrorũ antistites, postquam sacris initiati essent, ac res diuinas pertractarẽt, poetas tamen legere consueuisse; non ad inanẽ voluptatem, sed vt illorum testimonijs ad veritatem tuendam vterentur. Lactantium, Augustinũ, Hieronymũ, Paulum ipsum testor. Hieronymus pręterea nos optima quęq; ex profanis auctoribus iubet excerpere, Hebræorum more, qui quũ ex Aegypto mandatu diuino, discederent, Aegyptios iustissime spoliarunt. Ipsum illud suadet Gregorius Nazian. quadã in epistola, vbi etiam quo pacto legendi sint huiusmodi poetę, docet. An non beatissimus Damasus, Paulinus pontifex Nolanus, Prudentius vir consularis, Prosper, Sedulius, Iuuencus, alijq; pene innumerabiles, qui priscis temporibus floruerunt, vt interim de adolescentioribus taceam, res sacras et diuinas, nostrę fidei ac religionis arcana, pręcepta, instituta carminibus illustrarunt? Deniq; ipse spiritus diuinus hoc ornamento, oracula, vaticiniaq; contexit atq; vestiuit, vt Deuteronomij, Dauidis, Iobi, Salomonis poemata, canticaq; ostendunt; item posterioribus sęculis a Christi ortu, & euangelij tradita lege, vt asidui indicant hymni, ac laudes carmine conscriptę, quas Christiani cum in Templis tum in maximis hominũ celebritatibus Deo opt. max. decantant.

Poeticen artem esse fructuosam.

Thes. 2.

VTilitas poeticę ita demonstratur. Primũ hoc de poetica sensisse ac prodidisse doctissimũ quemq; animaduertimus, nempe illam primá esse philosophiam vti diximus, quę nobis ab ineunte ætate rationem vitę cõmonstret, quod versu persecutus est Horatius.

Os tenerum pueri balbumq; Poeta figurat,
Torquet ab obscœnis iam tũc sermonibus aurem,
Mox etiam pectus præceptis format amicis.

2 Neq; vero ad virtutem tantum, & ad bonos mores confert poetica, sed ingeniũ excolit etiam animũq; varia eruditione, & multarum rerũ scientia locupletat, puta Physicæ, Astronomiæ, Geographiæ, rei militaris, agriculturę, historię atquè id genus alijs.

3 Adhibetur deinde ad faciendam fidem poesis non ab oratoribus modo, verũ etiam a philosophis. nam pręcipue quidem apud Ciceronẽ, frequentius tamen apud Asiniũ & cæteros, qui sunt proximi, vidisse se refert Quintilianns Ennij, Pacuuij, Lucilij, Terentij, Cæcilij, & aliorum misceri versus, summa nõ eruditionis modo gratia, sed vtilitatis etiam; quũ poeticis voluptatibus aures a forensi asperitate respirent. quibus accedit non mediocris vtilitas, quũ sentẽtijs eorum, veluti testimonijs quibusdam, quę proposuere confirmãt.

4 Iam illud quale est quod apud poetas legim⁹, in

in Regum principumq; conuiuijs, heroum, illustriumq; virorum laudes versibus decantari solitas? nonne insignis est & efficax maxime ad prȩclare agendũ cohortatio?

5 Habet demũ hoc cõmodi poetica, vt res & sententiæ versib9 inclusæ memoria facilius cõprehẽdantur, ac teneantur fidelius, quàm quæ soluta oratione traduntur. quare priscis tẽporibus Deo immortali decãtatȩ sunt laudes carmine a Moyse ac Dauide, & apud gentes alias, Deorũ respõsa sunt ædita versibus, quorũ oporteret quàm diutissime recordari.

Poeticen esse iucundissimam.

Thes. 3.

Quum poesis oratio sit certȩ cuidã legi numerorũ astricta, in qua non solũ est pedũ alligatio, sed etiã rithmus quidã & concentus; fit, vt in hac arte mirifica sit voluptas, qua auditorũ capiantur aures, eorũq; animi demulceantur ob eã, quȩ est Musicȩ cũ animo humano, concordiam.

2 Tum quid causæ esse putamus, cur iners atq; imperitũ vulgus fere semper prȩ manibus habeat poetã aliquẽ vernaculũ? Voluptas illa profecto & iucunditas numerorũ, & rithmica suauitas indoctas etiam aures capit ac tenet. id quod ingeniosa & sapiens antiquitas declarari voluit, quũ vel Orphei lyra immanes feras, atq; adeo syl

uas delinitas canentē vatē insequutas, & ipsos inferos infernosq; Satellites attonitos obstupuisse finxit, vel Amphionis cantu cōmota saxa, & muros Thebanæ Vrbis constructos fabulata est.

3 Postremo plures reperiuntur boni poetæ, quàm mediocres oratores, non ob eam solū causam, quia soluta oratio atq; oratoris dictio pluribus indiget adiumentis atq; pręsidijs, quàm versus; neq; etiā quia poeta nascitur, orator fit: sed quia poema est multo suauius quàm oratio. ex hac vero suauitate singulis ætatibus poetarum semper tanta copia extitit.

Quæ obiici contra Poeticam solent, illa modo erunt diluenda.

OMnis laudandæ rei cuiusuis ratio vel ab honesto, vel ab vtili ducitur. Ars poetica neq; honesta est, neq; vtilis; parū dico, turpissimā & perniciosā esse cōtēdo. Turpitudinē his argumentis ostendā. Primum. Finis poeticę quis est? Voluptatē animi, scio, atq; sensuū respondebitis. hæc autē nobis est cōmunis cū belluis. Siquidē Orphei cantu delinitas & captas bestias ipsi docent poetæ. pręclara igitur ars, cuius finis hominē non distingui a bestia. *Calumnia* 1.

2 Deinde quę tandē docet, aut tradit ista ars? quæ? lege ipsos poetas vel Græcos, vel Latinos, vel barbaros. Disces primū genealogias & facta perditissimorū hominū, pręcipue illorū, quibus rudis antiquitas ob inuentionē falcis, aut rotulæ,

 aras

aras, ac Templa erigebat, & honores tribuebat, vni deo immortali deditos. hinc eorũ peregrinationes, nuptias, venationes, cõuiuia, luxũ narrãt: quæ omnia dũ referunt, quam partem retinent honestatis? aut quam dignitatem, grauitatemq; nobis ostendunt? Quid? cum describunt illorũ gesta, quos populus pro dijs habuit, quũ eorum bella, parricidia, adulteria, stupra, fraudes, impietatem, aliaq; nefaria scelera & flagitia, de prouidẽtia Deorũ, de bonorum præmijs, de supplicijs malorũ, ea dicunt quæ vel anus, aut vetula quæuis delira contemnat atq; irrideat.

3 Descendamus iam a dijs, ad homines. quid aliud sunt de hominibus dicturi, quàm de Dijs ante dixerant? meliores fingere homines quàm Deos, nefas est. amores Deorum, prælia, diuitias, crudelitatem, scelera cecinerunt, maximaq; laude eos homines fuisse dignos putabant, qui ad nequitiam deorũ imitatione quam proxime accederent. acute istud quidem. nam quæ poterat laus amplior inueniri, quàm esse hominẽ Dijs immortalibus longe simillimum?

4 Ab HOMERO expressa optimi principis imago est in Achille, quo nemo truculentior fuit, atquè immanior. Idæa sapientis in Vlysse, quem nemo fraudibus, dolis, mendacijs superauit. Deniquè potentiam Regũ opesq; admirantur poetæ, quibus adulari solent.

Ad alteram nunc partẽ venio, qua ostendam poeticen esse perniciosam. Ac prmũ, quid illi qui vel suos, vel alienos amores persequuntur, quantam pestem adolescentibus adferunt? corrumpunt enim bonos mores colloquia praua. Neq; vero hæc de libidine, de crudelitate, de inani glo-

ria,

ria, de fraudibus inculte atq; impolite dicuntur, sed ita exornantur omnibus verborũ sententiarumq; luminibus, vt vel ipso sermonis lenocinio aures atq; animos hominũ capiant ac demulceant. Quid vero in illis rebus, quas natura nostra deprauata atq; corrupta spõte sua percupit, quas videre gestit, quas omnibus sensibus persequitur, ad quas demum toto impetu fertur? quòd si res sine verbis natura sua nos trahunt, si verba sine rebus eò pelliciunt, quid fieri putamus vbi dulci rerũ veneno dulce verborũ additur condimentum? istiusmodine rebus tandẽ parati sunt poetici numeri, vt melius hominum mentibus mala cõmendentur? Ita canendo sunt assequuti poetę, vt diuini vates, pij, ac sancti nominentur? vt dicat Ouidius:

Est Deus in nobis, agitante calescimus illo,
Impetus hic sacra semina mentis habet?

Dic ergo Publi Naso, quũ doces quomodo puella sit expugnanda, aut quum de iam expugnata victor triumphũ canis, an non rectius quadraret?

Est Pluto in vobis, agitante calescitis illo,
Impetus hic saui semina Ditis *habet?*

Neq; melius quidquàm Tibulli carmina, hẽdecasill. Catulli, elegiæ Propertij, Martialis epigrammata, Horatij odæ pollicentur. An quia hęc finxit vel Horatius vel Homerus, transtulitq; hominum ineptias, leuitates, molliciem, scelera ad deos, dictus est ingeniorũ parens? quanto illos aptius quis ac magis proprie nugarũ parentes nominarit? equidem iuuare nos non possunt poetæ, aut illorum ars, quæ tota pæne in laudanda crudelitate, fraude, ambitione, libidine, flagitioq; cõsumitur.

ſumitur.

2 Iure igitur Eratoſthenes poeſin nugamentũ appellauit, ſiquidem Plato in Phœd. ait poetam oportere fingere. et Ariſtoteles: Poetæ multa mentiuntur. quãti ergo facienda eorum ars eſt, quæ tota in fingendo, mentiendoq; verſatur? immo vero indignũ poetæ nomine grauiſsimi auctores putant, qui vera canit. Quare nec Lucanus, qui bella ciuilia non a ſe ficta, ſed a Romanis geſta, Heroico verſu deſcribit, neq; Virgilius vbi vera pręcepta de re ruſtica tradit, poetæ nomen retinebit. quia mendacio non veritati ſeruit poetice, cuius vnius eſt fingere.

1. *Metaph.*

3 Quid dicam de ſcænica licentia & turpitudine? Venit enim in ſcænam poeſis populo ad ſpectandum, vt quęcumq; odiſſet poeta, in eum linguæ & ſtyli intemperantia abuteretur. cui iniuriæ atq; inſolentiæ itum eſt obuiam primũ a diuitibus ac principibus viris, deinde a legibus, quę cauebant, ne quis maledicũ carmen in alium ſcriberet, aut in ſcæna quemquam contumeliæ cauſa nominaret. at vero tum inuolucris tegi cæpit fabula; et paulatim res tota ad ludicra traducta eſt, ad amores, ad fraudes meretricum, ad lenonũ iuramenta, ad militũ ferociam atq; inſolentiam, quæ quũ ludis dicerentur in theatris, patronorũ, puellarum, mulierũ, opificum, rudiumq; hominũ refertiſsimis, mirum in modũ contaminabantur mores, & ad flagitia auditorum & ſpectatorum animi incitabantur.

4 Omitto quód amantes, hoc eſt, perditiſsimarũ voluptatũ ſerui hoc artificio ad fallẽdũ maxime vtuntur, vt ſit poetica impudentiæ ac libidinis adminiſtra. tritum eſt illud. amantem vt ſuis

potiatur

potiatur amoribus, Musicũ ac poetã esse oportere. præclarã artem, quam suis liberis parentes ad discendum proponant, vt esse possint ad flagitia parati atq; instituti. Potestne vlla res adolescentibus flagitiosior excogitari?

5 Itaq; Plato ex illa republica, quam optimam instituebat, poetas expulit. intelligebat enim illorum artem ciuitati esse pestiferam.

6 Si bona esset poetica, bonos efficeret ipsos poetas. consule veterũ auctorum historias, poetas omnes fuisse comperies aut vinolentos & ebrios, aut impudicos & flagitiosos, aut omnino furiosos ac prorsus insanos. Hinc vinũ pleriquè ipsorum olent, vel adulteria & stupra eructant. quòd si fortasse quid caste scripserint, eorum tamen vita multum a sermone dissentiebat: vt irridendus ille sit plane, qui cecinit:

Lasciua est nobis pagina, vita proba.

7 Postremo Democritus, et alij negant esse poetas, qui non insaniant. valeat igitur illa ars, quæ cũ sanitate mentis consistere non potest. fugiamus ac detestemur poetas, Augusti exemplo, qui amatoriæ artis conditorẽ, poetã Ouidiũ ex vrbe eiecit, atq; in vltimas terras deportandũ curauit, vt apud barbaras atq; immanes gentes exilij sui ærumnas huiusce artis beneficio deploraret, ob quã fuerat damnatus & relegatus.

Hæc atq; huiusmodi sunt, quæ ab importuniss. poeticę artis calũniatoribꝰ obiecta, videtur indoctis veriss. parũ doctis probabilia, doctis vero atq; sapientibus falsa & ridicula. Ducuntur enim omnes ille rationes ab artis abusu, quomodo sapientum nullus vmquã disputauit: neque quidquam

contra

contra artem ipſam faciunt. ſi quid ſuadent; illud vnũ; vitioſos nimirũ poetas eſſe fugiẽdos. quòd ſi concedamus, vt concedimus, nobis cũ aduerſarijs conueniet: poeſis, vt antea, ſuo guadebit honore ac dignitate. Verũ ſingulis reſpondeamus. Cunctæ hæ rationes in duas diuiſæ ſunt partes. quarũ prior quatuor modis turpitudinẽ & indignitatem poeticæ depingit, poſterior incõmoda & damna ſeptem ex cauſis cõmemorat. Prima

Reſ.1. calumnia facile diluitur ex conſideratione finis poeticæ, qui quidẽ finis non eſt ſenſus mera quędam delectatio, vti diximus, ſed poeticis numeris ciuium animos ad virtutẽ erudire.

Reſ.2. Secunda ratio non tam poeticã damnat, quàm religionẽ Ethnicorũ. ita nõ minus ciuitates omnes, regiones, ac populos, principes omnes atquè imperatores, philoſophos omnes, omnes ſapientes, quotquot vnius veri Dei cultũ neſcierunt, redarguunt, quàm poetas; qui tanquã diuini deorum gentiliũ pręcones, illos efferre ſummis laudibus conati ſunt, quos vniuerſus terrarum orbis omni honore dignos iudicauit. Ex qua poetarũ cæcitate nos luminis illud aſſequimur, vt eorum inflammati exemplo, doctrina imbuti, præceptis, harmonia, modis, numeris inſtructi, & lectiſsimis verbis referti, ſummi ęterniq; Dei laudes fœlicius pangamus, niſi ſi Ethnicis hominibus religione cædere velimus.

Reſ.3. Atqui ſcelera hominũ poetæ prędicant & flagitia. adde, neq; tantum flagitia, ſed etiam pœnas quas flagitioſi homines ac nefarij merẽtur. quod in Prometheo, Syſipho, Ixione, Beli liberis videre eſt. deinde celebrarunt viros bonos, eorũq; virtutes, & virtutum præmia. neq; omnes poetæ

viros

viros sceleratos prędicarunt. Virgilius non vitia, sed arma virumq́ꝫ cecinit, dum nobis Æneæ pietatem ante oculos ponit, cuius carmine castius nihil, nihil elegantius, nihil grauius. quòd si quãdo in res leuiores, vt Æneæ ac Didonis nuptias inciderit, adeo prudenter, modeste, grauiter eæ narrãtur, vt nihil supra. De Æschylo idem Euripides iudicium apud Aristophanem tulit. *In Ran.*

Si fuerit Achilles truculentus, si subdolus Vlysses, hoc magis placere debet Homerus, qui quum virtutes eorum laudaret, vitia non tacuerit, quod tamen faciunt pleriq; Rhetores, Historici etiam non raro, quum principum res gestas narrando laudant, scelera tacent. quid quòd aperte hominum vitia increpent ac damnent suis carminibus poetæ? quos flagitiorum seruos non perstringunt Satyrici, Horatius, Iuuenalis, Persius? Nõne suis hendecasyllabis Catullus Iulio Cæsari perpetuæ infamiæ stigmata inussit, quòd Mamurra ignominiose abuteretur? Patrum nostrorũ memoria vnum Aretinum timuerunt principes, Reges, Cæsares, imperatores, pontifices. vt intelligamus poetas ne principum atq; imperatorum vitijs parcere; tantum non illis fauere, aut conniuere. aliquem vero ad cœlum laudibus euehere, cum poetis etiam oratoribus atq; alijs artificibus commune est. *Res. 4.*

Sequitur altera pars qua ostendere conantur aduersarij poesin non secus ac pestem quandam esse fugiendã. quòd si ita est, cur Arist. censuit Alexandri Regis tenerum adhuc animum nullis alijs præceptis potuisse magis ad virtutem informari, quàm Homeri poetæ lectione? ex qua quid quid ad bene beateq́ꝫ ac principum more viuendum

dum pertineret, illi suppeditaret. Cur Menandrum Ptolomeus Ægypti Rex tanto precio cõduxit? Cur Euripidi Archelaus Macedo, Mœcenas Horatio tot laudis præmia contulit? Cur Ciceroni charus adeo Catullus, Archias, Chilius? Augusto Virgilius, Sophocles Atheniensibus, Æschylus Hieroni Siculo sua, summa cũ laude, carmina recitarunt. Quin Lucullus ad Cæcilianam quoquè fabulam spectauit. sed videamus quænam tanti odij causa est? canunt amores. valeant obscœni poetæ. quid ergo? numquid poetæ omnes obscœni? nequaquàm. castus Virgilius, castus Æschylus atq; alij. at plurimorum carmina libidine scatent. non omnia. qui vero libri obscœni sunt, eijciantur. hoc iubet ratio, morum honestas postulat, flagitat religio Christiana. legamus ergo impune Virgiliũ, audiamus Horatium, sed vitijs perpurgatum; euoluamus Martialem, sed castratum ab Augerio. teneamus Ouidij fastos, de tristibus atq; Ponto libros, impuros illos versus omittamus, quos ipse ille damnat.

Id quoq; quod viridi quondam male lusit in æuo,
Heu nimium sero damnat, & odit opus.

Catulli poemata vel comœdias Terentij, vt quis adolescentibus prȩlegat, suadere non ausim. moneo tamen, hortorq; magistros, vt ex illis depromant Latini sermonis proprietatem, phrasin, elegantias, quas auditoribus diligenter proponant. Discant pueri ex Tibullo perspicuitatem, scripsit enim is mollius, delicatius, simplicius, suauius, & maxime natura fretus. hauriant ex Propertio nouitatem quandam peregrinam. fuit is Tibullo neruosior,

Non tamen hortor, vt alterius vtrius carmina pueri ipsi legãt.

neruosior, accuratior, diligētior, Callimachi imitator; lasciuiam a teneris annis fugere doceantur. id quod Catullus ipse ait,

Castum esse decet, pium Poetam.

Reliquos sane poetas ego non magni facio. nam quamuis in specie Lucanus & Seneca illustres appareāt, Hispani tamen homines quū fuerint, inflatum quoddā ac tumidum, & suæ gentis moribus congruens potius inuexerunt orationis genus, & a recta illa ac simplici naturæ imitatione magis auerterunt (quod exteros Athenis fecisse legimus) quàm germanā Romani sermonis elegantiam præstent. Deinde vt poetarum scripta, quæ recensui, lasciuiam omnem non exuerint, si omnes illos libros reijcere velimus, in quibus lasciuæ res aliquæ narrantur, valeant historicorum monimenta, philosophorum de rebus naturę disputationes, medicorum scholæ, pontificij iuris distinctiones, ne sacræ legis capita quædā commemorem, genealogias multas, cantica ipsa.

Sed poetæ fingunt omnia, & iccirco Lucanus dici poeta non potest. Respondebo, quidem ὕστερον πρότερον ὁμηρικῶς. Poetæ non solum est ea fingere quæ non sunt, sed & illa quæ sunt, imitari. effictio autem rerum poetis vitio verti non debet, sicut neq; mathematicis probro datur, quòd in cœlis tot effingant circulos, qui nusquàm sint. et quantas res considerant ab omni materie seiunctas? quum tamen omnis res magnitudinis particeps materiæ sit coniuncta. quæ vero finxerunt poetæ, eò feceruut, vt alios quid vtile, quid non docerent. v.g. Orphei cantu permotas arbores, .i. vel rusticos atq; rudes homi- Res.2.

nes

nes carmine delectari. item Actęona conuersum in ceruum, deuoratum a canibus,.i. prodigũ hominẽ suas abligurire diuitias, maxime si plures alat parasitos. longum esset singula percurrere.

Res.3. Scænica illa licentia, Satyrę, & alia id genus poemata, non ad prouocanda scelera, verum ad homines a vitijs deterrendos inuenta sunt. vnde res obscœna, res digna reprehensione Scænica dicebatur. nec est vnius poetæ in omnes detorquenda petulantia, dicaces etiam & maledicos sæpe, vel ipsos oratores reperimus.

Res.4. Eodem plane modo respondemus poeticam non esse administram vitiorum, posse tamẽ malos poetas hac arte non secus abuti, quàm philosophos peruersos dialectica, quod sæpe accidit, aut improbos Rhetores eloquentia. quibus, inquit Cicero, dicẽdi copiã si tradiderimus, nõ eos quidem oratores effecerimus, sed furentibus, quidem arma dederimus: alioquin etiam & Musica abijcienda foret, quòd ea plurimi ad vitia abutátur. Plato suá ipse sentẽtiã ipso illo in loco interpretatur. vbi non poetas simpliciter, sed malos poetas reijcit.

2. de orat.

Res.5.

Res.6. Quosdam ebriosos atq; impudicos fuisse poetas quid mirum? vitia illa nõ tam poetarũ quàm vniuersi fere generis humani fuerant. et iccirco poetæ quidam leuiores carmine vitia sunt persequuti, corruptis populi moribus vt placerẽt quas fecissent fabulas. quod de suis hẽdecasyllabis Catullus ait.

Qui tum deniq; habent salem ac leporem,
Si sint molliculi, & parum pudici.

Atqui omnes poetas aut lasciuos aut vinolentos dicerę

dicere impudentiæ eſt.

Furoris aut inſaniæ quatuor genera cõperio, quorũ duo adhęrent vitio, cętera in ipſarũ virtutum numerũ reponẽda. Plato his nominibus appellat: Myſticũ furorem, amatoriũ, ſtaticũ, poeticum. Primus in ebrioſis conſpicitur, qui non ſine furore operta quęuis recludunt. alterũ iræ amantium amoreſq; apertiſsime indicant. equidem vt ille ait. Reſ.7.

Nec Deus, vt perhibet, amor eſt, ſed amaror et horror

Tertium genus vaticiniũ dicitur; vltimũ in poetis conſpicitur, quos ideo furere Democritus ait, nõ quia mente carent, ſed quoniam ita mentẽ rebus applicant, ita affectus quos deſcribunt, induunt, vt quaſi furore perciti, aut diuino afflati ſpiritu huc illuc rapi videantur: quod ſæpe nobis euenit ſerio quippiam contemplantibus, non animaduertere quodammodo illud quod agamus. quomodo philoſophos etiam inſanire ſcripſit Ariſtoteles, & citra furorem non fieri magnũ poetam Democritus aſſeruit. Neq; vero in Scythiam relegat[9] fuit Ouidius, quia poeta, ſed quia laſciuus, vel potius, vt non raro ipſe clamat, non tam propter amãdi artem, quàm quia neſcio quid turpe a Cæſare fieri vidiſſet.

Cur aliquid vidi? cur noxia lumina feci?
Cur imprudenti cognita culpa mihi eſt?

Abunde ſatis de re poetica, & poetarum ſcriptis: nunc Scholion ipſum, quò noſtra poemata fiant illuſtriora, in medium proponamus.

Poem. 1. Donat atq; dedicat.

Duas res primum hoc poema continet, nempe dedicationem operis, & causam quæ animũ meum ad scribendum appulit. Poetis enim vt est in more positum initio rei summam proponere, & Musas inuocare, ita etiam alicui opus ipsum dicare. Catull. ep. 1. Quoi dono lepidũ nouũ libellũ? Horat. li. 1. od. 1. Mecęnas atauis ędite regib⁹. &c. tãdẽ cõcludit. Quòd si me Lyricis vatibus inseras tũ li. 1. e. 1. Prima dicte mihi sũma dicẽde camęna Ouid. fast. 1. Excipe pacato Cæsar Germanice Hoc opus, & timidæ dirige nauis iter. (vultu Item rationem reddere quare hoc, non illud scribant. Tibullus Eleg. 1.

Sic Palingen. & aly.

Hic ego dux milesq; bonus: vos signa tubæq;
Ite procul, cupidis vulnera ferte viris.

Ouid. amor. 1 el. 1.

Arma graui numero violentaq; bella parabam
Ædere, materia conueniente modis.
Par erat inferior versus: risisse Cupido
Dicitur, atq; vnum surripuisse modum.

Et lib. 1. de ar.

Me Venus artificem tenero præfecit amori.

2. Quincunx.

Duodecim quæ sequuntur poemata, figuras, siue imagines nuncupo: quoniam quidem pręter legem, numerum, sermonem, rerum pondus, ac sensum quæ in omni carmine diligenter expendẽda sunt, ipsa verborum scriptione, atq; versuũ ordine expressam rei alicuius effigiẽ prę se ferũt.

3. in his Quincuncem atq; XPS primo omnium effinxi.

finxi. occasionem dedit alteri hortus, in quo forte viderã digestas in Quincũcẽ arbores, alteri vexillũ Cõstãtini, Græcis λάβαρον. ΑΧω. cuius vnũ Treuiris, deinde aliud Romæ simulachrũ dispexeram. Enimuero pictoribus atq; poetis ΑΧω.

Quidlibet audendi semper fuit æqua potestas.

Ordo legendi vtriusq; vnus est. nam si pluribus tantum verbis, aut hanc thesin, Christus morte sua mortẽ nostram destruxit, aut illam, Christus existens a mortuis vitam nostram reparauit, efferre velis, ita legas. Christus, agnus, victor; deuicit, subiecit, prostrauit, destruxit; peccatum, serpentem, cacodæmona; risus, spretus, cæsus, passus; acerbe, amare, inique. item illud. Contemptam, neglectam, amissam, æternam; reparât, renouât, retulit; Christus; patiendo, vincendo, surgendo; salutem, tyaram, quietem, coronam. atq; hæc oratione soluta. quòd si carmine illud efficere cupias, nõ tot occurrunt in alterutro poemate verba, quot inde constituentur diuersa carmina, si verũ est, vt est, immutatione vnius verbi, diuersum ab eo, qui fuerat, versum confici. itaq; sic incipias.

Christus deuicit peccatum risus acerbe,

Deinde.

Christus deuicit peccatum spretus acerbe,

Tum.

Christus subiecit peccatum spretus amare.

Deinde.

Christus subiecit peccatum risus acerbe,

Mox.

Christus subiecit peccatum spretus acerbe.

Statim.

Christus subiecit peccatum spretus amare.

Dein.

Christus subiecit serpentem spretus acerbe.

Post.

Christus subiecit serpentem spretus amare.

Denique.

Christus subiecit serpentem cæsus inique.

Atquè ita deinceps a τῷ agnus atque victor incipiendo progredere, donec omnia collegeris. pari ratione illud aliud Ρχ͂ς ingredere. nequè enim tam artificio quàm effigie differunt. huc etiam poema 76. pertinet.

Ara.

4. ΘΕΟΚΡΙΤΟΥ Βωμος vt narrationem Troili cõtinet, qui ad *Aram* Apollinis, quò pudicitiæ conseruandæ ergô confugerat, ab Achille crudeliter occisus fuerat; ita hoc poemate profiteor me nullo vnquam tempore de religione Christiana discessurum. quod etiam nomen, quia primis nostræ fidei cultoribus Antiochiæ inditum fuerat,
Act. 11. vt honestissimum atque gloriosissimum præter cæteras nominationes vsquequaque retineo. versus a toto genere Iambici sunt, sed alij Anacreontici, Alcmanij alij, siue Alcaici, qua de re Scalliger copiosius. illud addo luculentius hanc figuram a Crispino quàm ab alijs proditam.

Gladius.

5. Emblema hoc de meo addidi. nimirum illi assumendum esse gladium spiritus, quod est verbũ

Dei,

Dei, quisquis a principũ ira, a populi furore, atq; impetu securus esse, cæteris cadentibus, volet. versus in acie gladij duo vicissim retro commeant, qua de re postea. in obice transuerso carmen sibi ipsi reciprocum est, quale Maronis illud

Musa mihi causas memora quo numine læso. *Aen.1.*

Sesquicarmen Iambicum Capuli vice posui.

Itaquè primo sic legas.

Non mihi diuitiæ, non Serum vellera, non sunt
Balsama, non pallæ sunt mihi purpureæ.

Deinde.

Purpureę mihi sunt pallæ? non. Balsama sũt? nõ.
Vellera Serum? non. diuitiæ mihi? non.

Paruum ouum. 6.

An Simmiæ Rhodij ouum extet, non perinde liquet. Scalliger prope alter poeticæ parens, duo dedit. alterum pusillum quasi Philomelæ, alterũ grandius, vt esset Cygni, duodecim carminibus expressum. Est & Pierij poetæ non ignobilis ouum dactylicũ tertia parte maius, Danieli Barbaro inscriptum. Quod vero Crispinus attulit nouem & viginti versibus effictum, amplum sane est, quandoquidem Cygni illud, apud Scalligerũ, ouum sesquialtera parte superat. Ego perpusillum Scalligeri ouũ imitor vno carmine hexametro prorsus Spondaico. id genus carminis vt cęteris antiquius, et primo omnium in laudem Apollinis decantatum,

ἰὼ παιαν, ἰὼ παιαν, ἰὼ παιαν,

Sic ad oui constitutionem, quod futuri alitis principium est, non ineptũ. munus vero ipsum anni initio ad ineundam amicitiá forte aptissimũ

7. ## Pyrum

Habent Augusti Kalendę tota Italia veteri instituto celebritatem maximam. Ego pro fructibus Italicis Bernardino inueni, quo nihil castius vnquàm vidi, nihil diligentius, Pyrũ Anglicano in horto natum, choriambicis numeris inclusum donaui. Tota res adiunctione vnius syllabæ vel detractione constat, quæ & naturam & nomen cuiusq; carminis immutat.

8. ## Pastoricia fistula

Frequentes in Germanię ciuitatibus atquè oppidis Coriaceæ illæ Fistulæ sunt, quas apud nos rusticani homines fere vsurpant, qualis forte σύριγξ Theocriti εἰδ. λβ. fuerat. Ego in hoc poemate ipsos illos Theocriti modos æmulor. est enim quisq; versus Dactylicus, proportione tamen alij alijs vna syllaba contractiores. deinde cùm istiusmodi fistulæ quadam certæ lagenæ speciem præ se ferant, adeoq; ipsi Germani splendide bibant, inter bibẽdum vero non vtantur modo fistulatore, sed etiam sonos illos inflent quibus minus minusq; vini superesse cognoscas; operęprætium duxi Germano homini strenam dare, quæ tam Pastoriciæ fistulæ, quàm lagenę vinariæ formam exhiberet. ille perhumaniter accepit, & emblematum libro, qui Germanis vnus e millibus placet, inscribi iussit. Tanti in poetica refert præter ætatem, atq; indolem, regionis quoq; morem contu-

contueri. nam ceteræ gentes de hoc genus facetijs longe aliter & sentiunt & loquuntur.

Alæ. 9.

Simmiæ Rhodij Ala Ερωτος orationem complectitur, qua se primam rerum omnium causam atque principium ostendit. Ego Musas obtestor, vt amicissimum meum æternitati consecrare velint, cuius sane modestia, pietas, eruditio, id merentur, vt quod Horatius ait lib. 2. od. 2.

Illum agat penna metuente solui
Fama superstes.

Alæ vtriusquè versus, natura, proportione, loco pares, Choriambici omnes, Bacchio clauduntur, qui dextræ Alæ vno semper choriambo diminutiori tandem finem imponit, quemadmodum sinistræ Alæ principium dat, quæ similiter vno choriambo vsquequaque augetur, donec ad iustam magnitudinem perueniat.

Cantuariensis ecclesiæ insignia. 10

Hoc enim nomine poema istud censeo, quia monometris Iambicis acat: albam crucem; tum monomet: Iamb: catal: duobus. XI. in medio exprimit. monometra ipsa in angulis posita cum Iamb. catal. in medio transuersim locatis, sursum deorsum, secundum latus aut transuersim, simul iuncta omnia, aut seorsum lecta; Ecclesiá aliquo in sensu non significant modo, verum etiam ad

Ecclesię laudationẽ faciunt. nam alij duo anguli *Ecclesiam* denotant, vt est Christi fidelium cœtus, vt Sponsa Christi: alij primas in *Ecclesia* Christi virtutes, atquè *Ecclesię* Christi ministros. siue igitur quatuor angulos ordine percurras, siue ex his binos quoslibet, modo addas verbum, videlicet, Cantate, perfectam sentẽtiam constitues. gratia exempli. o Iunior, o fœmina, vir, & senex. id est, omnes ætates, vera in fide, amore, spe certissima cantate antistites, episcopos, doctos patres Sponsæ, nouæ Hierusalem, *Ecclesię* Christi. sic enim X cum I positum Christi significat, non quod vulgus arbitratur x & i. sed Græcorũ more, quibus prima atq; vltima literæ totum vocabulum significant. vt χς. Christus &c. legas iam hoc pacto. o Iunior, o fœmina, vir, & senex cantate Sponsæ, nouæ Hierusalem, *Ecclesię* Christi. atq; ita deinde modis diuersis aliam atquè aliam sententiam efficies.

II. Pentalpha dici potest, quoniam in pentagono
isto quinquies A. conspicitur. valetudinem ego
nuncupo Pythagoreorum more a quibus ὑγεία
sic expressa inuenitur. an quia ὑγεία signum
υ. γ. Pythagoricorum sicuti Antiochi in Epistolis
ὑγιαίνειν? an quia sanitas quatuor rebus, quæ ad
partes humani corporis similes pertineant, certa
α. ε. nimirũ cõiũctione, magnitudine, numero, forma
cõstat? an vtrũq; hoc schemate denotatur? Lepi-
ι. do Estę meo Tyroni a me & salus hoc poemate,
& respõsio ad literas mittitur. Tres in medio literę significant nomẽ eius ad quem scribo. nempe L. E. T. Iã si e schemate ipso eiusq; lineis cõficias

VA et VDO, facile quid optatum fuerit conspicies. ex quinq; vero literis quas in águlis posui iteratis carmen Asclepiadeũ consurgit. modo e nomine *valetudo*, *VALET*, verbum adiungas. carmen igitur hoc est.

Naman Manna valet nam valet Anna Mna.

hoc est Naman, ita enim hominem Scotorũ vocabulo designo, quasi diceres, non vir, valet manna, .i. est admodum suauis, nempe suæ coniugi. nam valet Anna mna, quia Annæ coniugi quas velit ipsa, pecunias elargitur, adeo vt ipsa nummis non maritus, more Genuensium, valeat, illa emat, vendat, mutuum det quidquid libuerit, maritus omnino rebus agendis abstineat. dum Naman & Manna colliguntur, Pentagoni figuram poema reddit, Anna tetragonum efficit, nam & mna triangulum alium atq; alium constituunt. neq; vero plures toto poemate figuras meo iudicio quæ ad rem faciant, designes.

Pyramis inuersa. 12.

Carminibus Iambicis hoc poema, quemadmodum Heroicis pastoricia fistula, diuersis constat. nouimus enim hoc genus versuum quàm sit ad exagitandos hominum errores peridoneum. inuerti autem pyramidem, quia Romanæ vrbis ruinam testificatur, non secus atq; erecta columna gloriam. Gallus nescio quis lingua sua Casparẽ Collinium nuper in Francia trucidatum simili poemate vituperauit. latine vero antea expressit quod sciam, nemo.

Arist. in poet
Hor. in poet.
Ouid. in Ib.
Quintil. lib. 10. ca. 1.

Securis.

13. **Securis.**

Et primum nauis molitorem & *Securim* qua vsus in exædificanda illa fuerat, celebro; quoniam quidem nauigio sanus & incolumis e Gallia Mœcenas meus rediit. Secus male imprecatur

Lib. 1. od. 3. Horatius, quia nauigio dimidiũ animæ suæ Virgilius abierat. Versus Choriambici, vt in alis, prorsus, nisi quòd quintum & sextum non υ - - sed υ - υ υ clauserim, item vltimo loco ipsum illud fecerim. quod parũ in huiusmodi poematibus refert, quoniam quidem quocumq; in carmine & loco reperias –, ponere υ υ secundum rei naturam potes. quod vel in Heroicis ipsis Virgilianis accidit. vbi præter Dactylum qui sua volubilitate Spondęi grauitatem excitat, υ υ - reperias. vt Fluuiorum Rex Eridanus &c. et υ υ υ υ vt Genua labãt humo. Sic Homerus πηληϊάδεω Ἀχιλῆος. quia - . in υ υ. resoluitur, necq; quidquam plus υ υ quàm - valent.

Sed hoc securis ab alis differt, quòd illarũ primò dexteram totam, deinde sinistram legamus. in securi vero post primum, hoc est remotissimũ a manubrio versum ad dexterã, statim primum, hoc est extimum alterius faciei legamus. mox ad secundum dextri lateris, tum ad secundum sinistri, atq; ita deinceps reliquos percurramus. Simmiam Rhodium vos ipsi consulite. atquè hæc de imaginibus satis.

Cento.

Cento. 14.

Insequentia octo poemata partim ex veterum poetarum monumētis deriuata in noua sese carminum genera induerunt, partim ad veteres poetas imitatione aliqua accedunt. Cento enim nihil aliud habet, nisi quandam fragmentorum, diuersis e carminibus poetę alicuius, in vnum connexinem, ita vt poeta suorum ipse carminum fragmentis hinc inde collectis, nullo immutato vocabulo cogatur dicere quodam modo, quæ nullo vnquàm tempore cogitarit. sic Virgilium hemistichijs eclogicis de Matre Dei annunciata canētem induco, siue ex diuersis eclogarum eius particulis nouū poema, tanquam e varijs diuersarum telarum frustis vnum aliquod vestimentum, conficio. ita quondam Ausonius.

Rapsodia. 15.

ἀπὸ τοῦ ῥάπτειν καὶ ᾠδή. quod est cantum consuere, vnde Homeri libros pleriq; rapsodias nuncupant, quandoquidem Pisistrati mandatu in eum ordinem, quem nunc cernimus, redacti fuerant. neq; vero mihi tetrasticon istud ascribo, sed colligendi laborem.

Alterius poetæ artificij imitatio 16.

Franciscus ita Petrarcha Lauram suā decātauit.
quando

Quando io muouo i sosp ir a chiamar voi,
e'l nome, che nel cor mi scrisse amore;
laudando s'incõmincia vdi r di fuore
Il suon de primi dolci accenti suoi.
Vostro stato real ch'encontro poi,
Raddoppia a l'alta impresa il mio valore:
Ma tace, grid'al fin; che far le honore
è d'altri homeri soma, che da tuoi.

Venus in hoc poemate illa est, quòd aperte laudando Lauram, secreto ipsius nomẽ innuit ijs verbis, laudando, real, grid'al fine. Sic a me aquæ murmure, sella curuli, hoc est supremo ordine senatorio (in quem clarissimi Baronis Russelli patrẽ auũq; Bedfordię comites ascriptos nouimus) lucidisq; in tanto Heröe virtutib9, atq; vltimę literæ significatione, Nomẽ Russellus exprimitur

Uniuersi Poematis imitatio.

17. Æmulamur poetas alijs quatuor modis. quorũ primus vt est cæteris factu difficilior, ita etiá nouo aliquo nomine appellari non debuit. sic lasciuum illud Catulli epigramma 45. hoc loco pro mea tenuitate imitor. nempe.

Mellitos oculos tuos, Iuuenti,
Si quis me sinat vsq; basiare,
Vsq; ad millia basiem trecenta
Nec vnquàm saturũ inde cor futurũ est.
Non si densior aridis aristis
Sit nostræ seges osculationis.

Cupio enim et vehementer cupio libidinosa poemata vel omnino exulare, vel, Christianis moribus, caste ac pie in adolescẽtulorũ oculis versari.

Ex Epi-

Ex Epigram. antiquo nouum. 18.

Secundum genus imitationis est, quum certo versuum genere cōscriptum poema alio nos genere, simili tamen euentu, retexímus. Maro quā ob rem cecinerat illud,

Nocte pluit tota, redeunt spectacula mane,
Diuisum imperiū cū Ioue Cæsar habet,

Liquido constat. ipsum illud quoniam ludis Autumnalibus aliquando in Germania contigerat Reuerēdissimo Archiepiscopo, eodemq; illustrissimo principe Electore Moguntino biduum spectatore, ex epigrammate Virgiliano feci nouum.

Allusio. 19.

Tertium ego genus κλέψιν appello in oratione soluta si occurrat, in poetica tamen virtutem, auctoris modo nomen fateare. fit id quoties immutatis e re nostra aliquibus poetæ verbis, reliquum poema ad propositum nobis σκοπον accōmodamus,

E Græco. 20.

Haud paulo illustrior quartus modus est, quādo scriptum vno idiomate carmen in aliud cum venustate transfertur. transtuli ego istud ex diuino Musæi Leandro, vt minus belle, sane illibēter. neque enim frequentes in meis scriptis legi mulieres cupio, nisi si eiusmodi sint, vbi honestissime

ſime laudatiſsimeq́ omnium opinione literis cõmendari poſsint. Muſæus ita habet.

καὶ σπάρτης ἐπέβην, λακεδαίμονος ἔδρακον ἄστυ
ἧχι μόθον καὶ ἄεθλον ἀκούομεν ἀγλαϊάων.
τοίην δ' οὔτω ὄπωπα νέην κεδνήνθ' ἁπαλήν τε.

Paulo ante.

τρεῖς χάριτας ψεύσαντο πεφυκέναι, εἷς δέ τις ἥ-
ὀφθαλμὸς γελόων ἑκατὸν χαρίτεσσι τεθήλει. (ροῦς

21. *Paſquinus*

Solent optimi liberalium doctrinarum profeſſores non modo præcepta artis auditoribus ſuis tradere, verum etiam totam rem exemplo illuſtrare, & quaſi præmanſum, vt ita loquar, cibum teneris palatis exhibere. iſtud autem carminum genus in Italia, præſertim Romæ, quotidianũ de certis hominibus contexere nolui homo tranſalpinus & alienigena. Baptam igitur effinxi quennam morti proximum, qui Paſquini in morem quorundam hominum vitia in vniuerſum perſtringeret. Eos Baptæ filios appello, quoniam Iuuenalis vitioſos hoc nomine cenſet. verſus ad id Horatianos accõmodaui, vt intelligeretur poetã Chriſtianum poſſe loqui Satyrice, quamuis nulla e ſacris literis dicta petat. odi enim cane peius & angue, vt in prouerbio eſt, profanum illud circulatorum genus, qui per ſummum ſcelus ridicule ſacras literas interpretari non verentur, quo vel cum paſtoricia fiſtula ἐπισημασίαν aliquam huiuſmodi eliciant.

Sermo.

Sermo. 22.

De admirabili hoc Phænomeno, & omnibus literarum monumentis celebranda stella, quoniam tota pene Europa Matheseωn principes abũde satis disputarunt, nos vero ipsi non tã quid sit illa, quàm quid significet, quid nos amplecti, quid fugere oporteat, inquirimus, Horatiano instituto de tota re sermonem instituimus. Quisquis plura nosse volet, Astrologos consulat, illi pro Phænomeni magnitudine, colore, splendore, loco, situ, forma, diuturnitate, motu, stupendam eius significationem plane & dilucide explicarunt. mihi satis fuerat illorum opiniones adumbrare.

Preces. 23

Pluribus verbis explicare viginti quinq; poemata illa quæ sequũtur, superuacaneum est, neq; vsum habet, nisi millies actum ab alijs agere velim. quidquid meo iudicio parere difficultatem aliquam potuit, illud in margine collustratum apposui. et quidem nuda nomina diuersumq; in singulis artificiũ, quæ cuiusq; natura sit, facile indicat. Vnum Epithalamium illud excipio, quod quoniam sine scholio difficiliter a nostratibus intelligitur, ita explico. Archiepiscopus Treuirensis, idemq; princeps Elector (libet enim eorum vti vocabulo) hoc tẽpore est Iacobus ab ELTz. ELtzinæ autem gentis insigne Leo, Treuirensis ecclesiæ signum rubra crux, e quibus iunctis arma

ma tanti principis constituuntur. pone scu- quasi, occulte crux recta erigitur; ad dextrā gladio, ad læuam pedo illa transfigitur, quibus Archiepiscopi, Electoris, Episcopi dignitates & officia denotantur. tum in superiori scuti superficie non vnam tantum, vt apud nos fit, galeam, sed tres collocant, quæ generis claritatem atquè gemini muneris amplitudinem significent. Postremo his tyaram atq; Pileum vtriusq; ordinis ornamenta apponunt. Ego vero effecta in Leonibus reperiri carmine demonstro, quæ non minimam ad illa ornaméta similitudinem habeant, si ipsorum vsum diligenter consideremus.

Itaquè recte crucem Treuirorum cum Leone, *ELTZINO* iunctam cano. de Epithalamio

44. hactenus. Prȩfationem vero, Notationem, atquè Obiurgationem, deinde tria illa quȩ Chorum sequuntur, similiter atq; ea paulo ante proposita, nimirum Narrationem et Acclamationem quare poemata dixerim, si quis dubitet, vel etiam quærat, huic breuissime respondeo:

Ex omnibus omnium philosophorum scholis, ac Rhetorum coloribus atq; scribendi formis poemata confici posse. quidquid enim versu inclusum constat μύθῳ ac digressione, poema est. nequè laude digni sunt illi solum poetæ, qui contritam poesin tractant, sed qui artificiose etiam nouam commentantur. Etenim HORATIUS ait.

In arte poet. Non minimū meruisse decus vestigia Græca
Ausos deserere.

Allegorice illud scriptum nō interpretor. quare? quia scripsi ἀλληγορικῶς.

Partes

Partes omnes orationis 48.

In epiſtola ad me quidam in extrema,quodam
modo nauitatem meam in poetica damnauerat
priori verſu,cui ego poſteriori reſpondi. neq; ve-
ro aliud in hoc poemate venuſtum eſt , ſicuti
nec in illo ſubſequẽti ; niſi omnes in vno diſticho 49.
categoriæ ineſſent. quo pacto id eueniat,vos ipſi
recolligite.

Literæ omnes 50.

Aggredior nunc illa poemata quæ leporẽ om-
nẽ atq; venuſtatẽ ex literis ipſis trahunt . primũ
vno carmine õnes Latinorũ literas cõplectitur.
quodnam illud carmen ſit otioſi viderint. proxi-
mũ carmen Recurrens dicitur: hoc eſt, vt Sidonij 51.
verbis vtar, quod metro ſtante , neq; literis loco
motis, vt ab exordio ad terminum,ſic a fine rele-
gitur ad ſummum . qualia ſunt.

Signa te ſigna,temere me tangis & angis.
Si bene te tua laus taxat,ſua laute tenebis.

Itẽ, Roma tibi ſubito motibus ibit amor.

Senſus mei carminis eſt. Publius Tara,cui deſpõſata iam eſt Ibis, (ita enim illam ab euentu nuncupo) ſtatim a fide data,etiam ante nuptias, bona ſuæ coniugis futuræ obtinet , atq; in ſuum cõuertit vſum , de matrimonij die parum ſolicitus, poſteaquàm fœminæ diuitias habeat.

Luſi puer 52.

Et ſane puer,quã D. Chriſtophorus Ionſonus homo,et in alijs artibus apprime exercitatus,et in poetica multũ & ſępe verſatus, Plauti comœdias

nobis explicaret. earũ in argumẽtis ex primis versuũ literis fabularũ nomina cõstituta legerã. itaq; poema hoc ad fratrẽ in Gallia Belgica degẽtem pueriliter scripsi: ætate prouectior inter cætera Græcorũ monumẽta illud εἰς βάκχον epigram. lib. 1. forte legi, cuius quisq; versus ab alphabeti literis ordine incipit; quare operosius illud ordine

57. 57. ad D. Stephanũ insigni pietate ac fide hominem retexo. μυθος rei est huiusmodi. quęq; regio præstanti eruditione viros summis in cœlum laudibus tollit, nos igitur te hodierno die celebremus, cuius nomen Musæ volunt esse immortale & æternum.

53. *Anagramma.*

Dictũ ex literis omnibus alicuius nominis collectũ anagramma Galli dicunt. quale est illud e nomine amici mei Frãcisci Belleforesti. flos tuus celeber Francis. dicet hic aliquis deesse alicubi S. at Gallis illud ignoscendũ. Ita loco nominis cũ sui, tũ amicę, quidã Gallus in epistolis Trõchetti subscripsit.

I' enduré par Gre.
Ciel m'aura.

Prius anagramma denotat nomẽ viri. nempe Pierre Regnaud. alterũ significat nomen fœminæ. puta Maria Clauel. meus iste Gulielmus Sillaręsus posteaquàm hostẽ in fugam vertisset, ipsum gruem a fuga, sese illæsum pronuntiat. eędẽ certe vtrobiq; cernuntur literę in his quatuor vocabulis, Ille grus illæsus sum, atq; in illis duabus vocibus, Gulielmus Sillaræsus: neutrobiq; plures, aut pauciores.

54. 55. *AENIGMA.* Poemata 54. & 55. nulla egent explica-

explicatione. de 57. abunde prius. *POEMATIS.* 56. *venustas* duabus rebus constat. altera quòd pari numero ad interrogata respondet, altera quòd certa proportione transuersim per ἐπιφάνειαν poematis duæ voces, nempe Pneuma Sanctum, in crucem Burgũdicã, vt vulgo loquimur, ducantur; quæ voces & septem donorum largitorẽ, & aliarũ septem rerum quę sex versibus insequentibus cõprehenduntur, molitorẽ significant, et ad primi carminis intelligentiam adhiberi necessario debent. versibus hexametris poema hoc dedi, quo fœlicius quamq; literam secũdum proportionem collocarem. 56.

Literis Ægyptiacis. 58.

Imaginibus quondã Ægyptios ad sensa animi declaranda vsos esse cõstat. veteres etiã quorũdã animantiũ formis certas virtutes ac vitia significasse liquet. metrice ipsum illud fecerim necne, aliorũ esto iudicium. equidẽ in primis quinq; animantibus, quinq; potissimũ virtutes considerare licet. Mansuetudinẽ, fidem, pietatem, prudentiã, vires. in alijs quinq; bestijs totidẽ præcipua vitia. garrulitatem, luxum, stultitiã, iram, gulam. quæ si numeris astringãtur, duo fient carmina. hexametrum vnum. nempe Mansuetudo, fides, pietas, prudẽtia, vires. alterum pentametrum, videlicet, Garrulitas, luxus, stultitia, ira, gula. Sic toto poemate vni hexametro duo pentametra iungũtur.

IHS. 59.

Mirus in hoc genere fuit Rabanus Abbas Ful-

densis, idemq́ postea Archiepiscopus Moguntinus. plenum profecto labore opus & industria, in quo præter naturam versus integram, figura perfecta, sententiaq́ pulchra, imis quasi e visceribus poematis eruta cōspicitur. figurá vides IHS. sententia est. Iesus Mariȩ vnigenitus verus deus & homo. ipsū autē poema e sacris literis ad verbū fere, & tamen carmine Iambico depromitur.

60. *Parthenium,*

Hactenus ea carmina quæ venustatem aliquá e literis reportarunt. sequuntur decem alia propter ipsas voces illustria, quale est Partheniū hoc tam sua natura, quàm repetitione vnius vocis nō illepidum. sicuti Græcorum illud.

Ὕπνος δὲ θανάτου τίς προμελέτησις πέλει.
Ὕπνος δὲ πᾶσιν ἐστὶν ὑγεία βίου.
Ὕπνος τὰ μικρὰ τοῦ θανάτου μυστήρια.
Ὕπνος πέφυκε σώματος σωτηρία.
Ὕπνος δὲ πεῖναν τὴν κακέσχατον δαμᾷ.

et Hor. li, 2. od. 16. Ocium bello furiosa Thrace,
Ociū Medi pharetra decori. &c.

65. *Pollanalepticum*

Vario sensu dū certa verba diuersis in carminibus repetūtur, nescio quid leporis adferát. quocirca neq́ duo illa genera quæ præcedūt, inuenusta dici possunt. quandoquidē alterum quouis disticho, alterum in fine eadem omnia quæ precesserant repetebat. versus ipsi per se patent, quemad-
66. modum & leuitates proximȩ, in quibus certe mirus

rus fuit Ausonius. Dices apud Ausonium claudi carmen quodq; toto poemate, dictione monosyllab: ipsum illud ego feceram quidem hoc loco. sed quoniã Ausonij instituto nulla tot monasyll. a toto poemate sententia diuersa constituebatur, iussu reuerendissimi Cant. artificium immutaui, nomen fere nudũ retinui. quare ex vltimis carminum syllabis dictũ hoc efficitur. mos me corrumpit (quod nimirum solito in vitio quum sim non me perpurgem.) Dat lex (qua teneor præstare me) raro veniam (peto igitur a Te) sumne magis quotidie sons an non?

Linguis diuersis 72.

Sequuntur genera quędam non illepida, si quẽ linguarum varietas, aut communicatio, aut etiam carmina mixta varijs modis, leporẽ adferre queant. primum genus liquidius est, quàm vt explicatione egeat. Secundum paulo obscurius. Latine hic de medicorum vita iocor: ijsdem verbis 73.
Italicè dico Reges esse prestantissimos medicos, quibus liceat recreare se iucunde, ac suauiter viuere, quo nihil maius, nihil diuinius in medicorũ scholis reperitur. obijcient Grammatici a me Latine scriptum næ, & Lecytho: Italice ne & Lecito. respondeo, h. et æ. ab Italis negligi. prudentius fortasse quàm si Grãmaticorũ more de vni9 literæ scriptione, aut pronuntiatione, tanquã pro aris ac focis decertarẽt. dicã libere, dicã ingenue. poema ego ingeniose modo concipiã, ex arte foueã, tẽpore suo mature ædam, literarũ sordes, vt mater nutrici, lauandas Grammaticis relinquam.

74. ## Linguarum mixtio.

Venuste permiſcentur linguæ, vt metalla. hoc
eſt, deteriori præſtantior adiungatur. neq; enim
Græcam Latina permiſcemus, ſed Gręca Latiná.
75. ſicuti non illuſtramus argento aurum, ſed auro
76. argentum ornamus. ſic a Germanis lingua ſua
77. verſuum principia, Latine clauſulas conſcriptas
legi. quartum genus vulgare eſt. proxima duo
poemata nihil obſcuritatis habent.

78. ## Carmen reciprocum.

Quod inuerſum alij dicunt. hoc ſi ex ordine relegas, nullo immutato verbo, etiam carmē erit aut ſenſu contrario, aut eodē. verbi cauſa. diſceſſurus ego Peruſia diſtichon hoc ita luſi, vt qui bene de me ſentirent, recte legerent dextrorſum, quale nunc cernitis. qui me criminarentur, illud relegerent ad ſiniſtram, ſenſu contrario. nempe.

Barbaricos puto, non Romanos, fecit inertes,
Fecit non doctos vos mea ſedulitas.

At vero diſcipulorū illud meorū quod ſequitur diſtichon, ſiue legas, ſiue relegas, perinde eſt: neq; enim deceret adoleſcentes liberaliter & ingenue educatos male de ſuo præceptore quãuis imperito loqui.

79. ## Mimus. O che goſſa.

Genus hoc verſuū Itali Macaroneū a Merlino qui ſic librum ſuum inſcripſit, nuncupant a nullis

fere

fere iam populis non vsitatum. memini vestro in collegio puer, hoc artificio elaborati Sales ne me aspergerent. aliquando vehemẽter timuisse.

Metra vulgo dicta. 80.

Antiquissimũ est hoc metrorũ genus, atq; obscurissimis reipub. literariæ temporibus vsitatissimũ, immo vix præterea aliud exercitatũ, vel quia longe facilior est eorũ constructio, quàm carminum ratio, vel quia fœlicius illa memoriæ commẽdãtur, propter alternã, quę in ipsis cõspicitur, ὁμοιόπτωσιν. neq; vero carmina censeri debẽt, quoniam quidẽ iustam syllabarũ quãtitatem non perinde requirunt, ac veram cuiusq; syllabæ elationem ac depressionẽ, quã a nostratibus nõ maxime in suis Odis Anglice conscriptis obseruari perpurgatę eruditorũ hominum aures dijudicare poterunt. de toto hoc genere Rapitius in eo libro qui de num. orat. inscribitur.

Amphibologia. 81.

Mancinus Italice lęuũ significat: inciso carmẽ posteri⁹ ita si distinguas, Mancinus nõ iam, laudo hominem. sin hoc modo, Mancinus, non iam dexter, vt esse queas, vitupero.

Epicedium. 82.

Restant funebria, aut etiã alia poematũ genera quib⁹ ego vsus aliquãdo sũ in demortuorũ laudẽ primũ genus Epicediũ dicitur, quod laudẽ vita functi habet cum cõmiseratione, et semel tantum pronũtiabatur, corpore nõdũ sepulturę mãdato. *Epicedium.*
Quę cõmemoratio lugubris si fiebat ab vno, qui 83.

 voce

voce mœsta & carmine lugubri defuncti memoriam prosequeretur, siue ad tibiam, seu versu musicorum modulis temperato, *MONODIA* di-
Monodia. 85 cebatur. *AENOS* mortui laus est obscurata
Aenos. 83. ἀινιγμοῖς ita tamē vt sine molestia intelligatur. dicetis ἄινον a me scriptum obscurū videri. Anglis fateor, non autem Italis, qui res ab Ascanio præclare gestas nouerint. memorantur enim singulis carminibus bella singula, quæ ipse magis
Elegia. 84. magisq; indies fœliciter gessit. *ELEGIA* pluribus versibus mortuum flemus, non sine querela. atque hic germanus Elegiæ vsus est, quamuis postea ad eum quoq; decantandū diffusa illius est significatio, qui amoribus potiretur. *NAENIA*
Nænia. 86 ad rogum canebatur olim, dū corpus combureretur, quod quia minus christianum est, potest illa feretro a nobis inscribi. *EPIGRAMMA*
Epigrāma 87 si proprie loquamur, nihil aliud est quàm simplex rei cuiuspiam, vel personæ, vel facti indiciū, qualis est prima huius poematis particula tribus cōprehensa versibus. aut Epigramma cōtestatio est ex propositis deducta in commendationem rei alicuius, aut detestationē. talis est vltimus ille versus

Mars quem non potuit sternere, morte cadit.

Vulgo tamen hoc nomen latius patet, ita vt quidquid aperte, breuiter, acute, (quæ natura Epigrammatis est) de quacumq; re, quocūq; modo scribamus, Epigrammata classici appellent. *DI-*
Dialogus. 88 *ALOGVS, EPODOS, EPISTOLA,*
Epodos. 91. non magis poemata funebria sunt, quàm cætera
Epistola. 90. omnia toto libro efficta; quia tamen de laudibus Ascanij vita functi Dialogus instituitur, inscribitur Epistola, Epodos accinitur, hoc loco de ijs menti-

mentionem facio. *EPITAPHIVM*, vocamus id quod in demortui interitum componitur siue incidatur in sepultura, vt demonstret cuius ossa ea tegantur mole, siue in librũ referatur. breue, dilucidũ, & acutũ esse debet, quemadmodum epigramma, vt vno quasi pertranseuntis oculi aspectu legi atq; intelligi possit, tũ desiderium aliquod sepulti in animis eorum qui legerint, relinquere. *RITHMVM* adiunxi magis vt irriderem ineptos veterum, tristissimis reipublicæ literariæ temporibus, doctorum versus, quàm vt vos ad imitandum prouocarem. nisi si quis ægrũ socium huiusmodi epitaphio (quod ego aliquando feci) consolari atq; recreare volet. *THRENVS* proprie canebatur in euersione alicuius ciuitatis, postea etiam ab ancillis in funere, priusquàm corpus terræ mandaretur. hoc genus vsurparunt deinde præficæ, quæ deplorandis vita functis vicstitant. hæc etiãnum consuetudo in vtraq; Sicilia viget. habent illæ certum carmen compositũ quod cuiuis demortuo, mutatǫ nomine, accõmodant. Egone ab illarũ instituto discederẽ, quendam optimi præceptoris mei versum intercalarẽ adhibui. *SOMNIVM* atq; βιωτιον alijs etiam de rebus confici possunt. ego vero quoniam ipsa illa hora qua Fuluij mei pater obierat, secundum quietẽ ea videbam quę versu istic intercalari persequutus sum, proxima enim domo æger ille decumbebat, somnium inter funebria poemata retuli, quemadmodũ & βιωτιον, quoniam quidẽ in fœminę vita fũctę laudẽ scripserã. *ELOGIVM* est sentẽtia aliqua celebrior conclusa numeris in personæ cõmendationem, aut honoris quædam significa-

Epitaphiũ. 89
Rithmus. 92.
Threnus. 93.
Somnium 94
βιωτιον. 97.
Elogium. 95.

significatio, quæ ex opinione poetæ ac iudicio
Cōsolatio, 96 proficiſcitur. *CONSOLATIONEM* pluribus verſibus de morte Druſi Ouidius reliquit, mihi quo breuior & efficacior, eo magis placet. ſiquidem fere fit, vt multa demortui cōmemoratione dolorē, ex morte eius conceptū augeamus, ſaltem incaute renouemus.
Lachrym. 98 *LACHRYMAS* dixi, quoniam nullū prorſus carmē toto poemate eſt, quod, ſiue chariſsimi fratris in me merita replico, ſiue nouennalem peregrinationem meam cogito, ſiue præſentes illarum regionum miſerias conſidero, quod, inquam, lachrymas mihi nō excutiat. Scripſit patrū noſtrorū memoria Pierius Valerianus carmine Heroico lachrymas, præterea, quod ſciam, nemo.
Numeroſum carmen. 99. *NVMEROSVM iſtud carmen*, præter notationem anni, nempe 1572. quo germanus frater meus obijt, Epitaphij quoquè vice tumulo incidi poteſt; immo vero iam inciſum velim. carmē ita explico. M notat 1000. D 500. C 100. L 50. X 10. V 5. I vnū. atqui toto diſticho non reperitur M niſi ſemel. D atquè X nuſquàm, C ter, L quinquies, V bis, I duodecies. quę ſi cōiungantur notæ, ſignificabūt annos 1572
100. *CONCLVSIO*, a reliquo opere diuerſa, quēad modū & initio procemiū, a poetis adhiberi ſolet. Nam ſicuti Virgilius incipit Æneid. his verſibus, Ille ego qui quondā &c. Perſius Scazontes ſuos pręmiſit: ita Horatius 3. librū Odarū concludit. Exegi monumentum ære perennius &c. et Ouidius Metamorphoſeωn volumina. Iamq; opus exegi &c. Sic alij. ego ſane mihi nominis immortalitatē quā non mereor, non exopto, ſed vt hiſce meis vigilijs aliorū excitata ingenia, quod vehe-

menter

menter cupio, cęteras nationes adęquare studeát.

Hæc habui, summæ spei adolescentes, & summorum virorum mandatu, & mea sponte, & aliorum sermone de toto meorũ poematũ libro dicere. partes erũt vestræ, fracta iam glacie, longius progredi, atq; adumbrata a me poematũ genera, nunc sententiarũ pondere, nunc facetijs, pro eo atq; decet, prudenter temperare, omnibus omniũ poetarũ flosculis ornare, suis numeris, quos imitatione veterũ parabitis, absoluere, secundũ artem perficere, quã e medijs philosophiæ fontibus depromere bonus atq; eruditus magister, quem habetis, nouerit, potest, velit. neq; vero ita vobis artem, vel imitationem veterũ commẽdo, vt in his quidquid sese vobis obtulerit, illud statim, velitis, nolitis, ad imitandum proponatis, aut nihil quidquam noui effingere audeatis, cuius exemplũ aliquod prius non occurrat, siquidem vt ille ait:

Pulchrũ alijs aliud, studijs neq; viuimus ijsdem
Mortales; nec cuiquã vni dant omnia Parcæ:
Quod placuit, fecit sua libera cuiq; voluntas.

Magnopere autem vobis auctor sum, vt quæ poematum genera veteres excogitarint, in ijs exprimendis a veterũ præscripto ne recedatis. quod non eum ob finem dico, VT desiliat imitator in arctum, hoc est, nihil de suo addat, nihil immutet, verum illud contendo, vt nihil contra poematis, quod effingitur, naturam ac leges committat. atq; hoc loco, Therapneorũ instituto, a furtis cauendum censeo. tecte enim quod fit, impune fit; cęteroqui pœna duplo grauior, & infamia multo, quàm sit ipsa pœna, magis ignominiosa furi præstolatur. neq; tum demum in cœlo vos esse cogitetis, si quãdo historias nimium retrusas,

Hor. arte poet.

aut recōditiores fabulas carmine incluseritis, aut obscura, vel affectata locutione vtamini, puerile certe hoc vitium est, & a Pierio scite in Batto reprehenditur.

Erras Batte, nimis disertus erras,
Vt dicam tibi dicta Sobriorum.
Quo quis doctior, eruditiorq́;
Hoc emunctior est, apertiorq́;
Qualis Tullius, & Maro, & Tibullus.
Sed quo infantior, imperitiorq́;
Hoc obscurior exoletiorq́; est:
Quales tu, & similes tibi inuenusto.

Videte, finē dum facere cupio, nullum mihi modum statuo. et quis enim modus adsit amori? quia vos amo, Wiccammici, de vobis multum ac sæpe cogitare, & vobis bene esse cupere debeo; tum quę vobis vtilia fore cognoscam, illa præsens absensq́; significare. in præsētia vero arti poeticæ quam vos nūc primum capessitis, ego paulatim cum scientijs grauioribus cōmuto, si quod emolumentum fecerim, quod timeo, quàm sit exiguum: vobis, doctissimo præsidi vestro ac socijs, toti demum Collegio de me optime merito, primæ ætatis meæ fructum aliquem retribuisse gratulabor.

(∴)

FINIS.

Gulielmi VViccammi
VVinton. Episcopi
Ortus atquè vita.

QVA capit australes comitatu Hāptona Britan-
VViccamia est vicus, nec nisi paruus ager. (nos
Vixit Iõannes illic cognomine Longus, Perottus
Cui fuit in casti parte Sibylla tori. alijs.
Hanc habuit patriā Gulielmus, & hosce parentes
VViccamus, augurio nec tamen absq; bono.
Namq; loci vt nomen, sic vim matrisq;, patrisq;
Haud dubie in vitam transtulit ille suam.
Longus enim, vt longo duraret tempore: caute
Anñ *Et bene prospiceret cuncta, Sibylla dedit.*
1324 *Ergo sub Edwardo natus regnante secundo,*
Tunc vbi ter sceptri sexta cucurrit hyems,
Viginti primos studijs & moribus annos
VViccamiæ (patris cura ea summa) dedit.
Nec tamen hic omnes, nam partem temporis huius
Venta, & Edingdoni præsulis aula tulit. Venta vet9
1344 *Protinus Edwardi translatus tertij in aulam,* Wintoniæ
Non fieri nullo cæpit & esse loco. nomē. Ptol.
Namq; bis octo annis recte & fœliciter actis,
Rem fidei plenam consilijq; subit.
VVindesora fuit pagus celeberrimus, illic
Rex statuit castri mœnia magna sui.
1360 *VViccamus huic operi pręponitur: inde probatū est*
Ingenio quantum polluit, arte, fide.

Ergo

Ergo fit Edwardo charus, custosq; sigilli
Non ita post multos incipit esse dies.
Nec tamen optati meta hæc fuit vltima honoris,
Creuit adhuc Regi charior vsq; suo.
Vsq; adeo vt sexto sit factus episcopus anno, 1366
Iussus Ventana pascere in vrbe gregem.
Hic mihi vaniloqui minuenda est fabula vulgi,
Fabula de tanto non bene ficta viro.
Namq; nec Estmeonam petijt fallaciter vnquàm,
Sed tulit auratum, Rege sciente, pedum.
Nec fuit indoctus doctos facturus, vt illum
Fama refert Regi verba dedisse suo.
Consule quæ in tanti gessit molimine regni,
Prudentem dices Palladiumq; virum.
Consule quæ in sacri scribuntur calce statuti,
An faceret doctos addubitasse, scies.
Adde quòd (Historici si pagina vera Frosarti est)
Rex intercessor, præsul vt esset, erat.
Missa igitur vulgi faciamus verba prophani,
Quærat & exactam nostra Thalia fidem.
VViccamus ad summos euectus præsul honores,
Edwardo inq; dies charior, inq; dies:
Iam patriæ Lumen, iam Cancellarius idem
Summus erat, Regi præsidiumq; suo:
Cum subito (sic magna ruunt, summisq; negatũ est 1376
Stare diu) ex tanto decidit ille gradu.
Namq; per inuidiam Regi delatus, ab illo,
Pellitur, e patria missus, vt exul, humo.
Hoc factum est potius Regem stimulante Senatu,
Quàm quòd erat culpæ conscius ille malæ.

Aiunt enim vulgo in quē Estmeonę ecclesia conferatur, illi quoque Wintoniensem episcopatũ deberi.

An

An tamen exierit regno, non conuenit: & sunt
Qui poenæ summam displicuisse putant.
Interea moritur Rex hic Edwardus, & eius
Opportuna nepos sceptra Ricardus habet.
Hic iubet exilio præsul reuocetur ab isto,
Vtq; locum rursus, quem tulit ante, ferat.
Quin etiam census cereales reddit, ad annos
Tres minus, exilij quod puto tempus erat.
His opibus diues, mentemq; per omnia versans,
Non male quo seruet tam bene parta modo,
Sed quid agat, virtute sua, quid præsule dignũ,
Quidue Deo tantas cui referebat opes:
1379 *Post alia Oxonij (quod longum duret in æuum*
Possit & a memori posteritate coli)
Constituit pulchros studijs Phoeboq; penates
Atq; sacram Musis ædificare domum.
1386 *Septima creuit hyems, post fundamenta locata:*
Ingreditur custos & sua turba larem.
Turba (nec hic pueros, famulosq;, decemq; sacristas
Insero) quæ capiat terq; quaterq; decem.
His dedit & fundum, curatoresq; parauit,
Ocia discentum qui bene semper alant.
Magna quidẽ sunt hęc: tamẽ hęc tã magna placere
Lector, adhuc tanto non potuere viro.
1387 *Namq; opere exacto hoc, vix proxima fluxerat æ-*
Quin parat alterius tecta locare domus. (stas,
Quæ prope Ventanæ bene cæpta palatia sedis,
Creuit, & in sexto vere parata stetit.
1393 *Ergo illic totidem studiosos esse iubebat,*
Queis & rectores pædonomosq; dedit.

quòd si wiccãmus a Ricardo 2. restitut9 fuerat Alysa vero Perrisia ãte mortẽ Ed. 3 primũ eiecta deinde mortuo eo, statĩ sua spõte aufugerit, non video qua ratione quis asserat, pronunciata pecunia, opera Alysę Scorti tãto præsuli suá in ecclesia dignitatẽ ĩ repub. splẽdorẽ, ĩ diœcesi bona restituta.

Qui

Qui, simul ac primos complerunt fortiter annos
Musarum in studijs, rhetoricesq; tropis,
Altius, inq; nouas, vt ducta Colonia, terras
Oxonium semper lecta iuuenta petit.
Hæc duo Pierijs Collegia condita Mystis
Sunt in tutela, diua Maria, tua.
*Iccirco * noua dicta puto, quòd nulla vetustas,*
Nulla dies morsus tendat in illa suos.
Hic potuit credi finem posuisse struendi
Wiccamus, & sumptus iam tenuisse suos.
*Non tenuit, diui nam quicquid in * æde Swithyni*
Nolari occiduam spectat ab arce plagam,
**Concio qua festis celebratur sacra diebus,*
Quaq; suo in tumulo conditus ipse iacet,
Totum hoc, tam vastam molem, tantasq; columnas
Impensis struxit, restituitq; suis.
Regis opus dicet propius qui spectat, & idem
Vix Regum tantas esse putabit opes.
Forsitan & Gallis, nam sic est fama, Monastis
Quos rex e regno iussit abire suo,
Reddidit æquali precio quæcumq; recepit,
Parisijs fundos, Parisijsq; lares.
Nec tamen hoc sumptu minor esse domestica cæpit
Cura viro, famulos pauit, vt ante, suos.
Pauit, & illius (testatur scripta sepulchro
Litera) gustauit diues inopsq; cibos.
Huic ita viuenti, quum iam longæua senectus
Corporis effœti debilitasset onus,
Grata quies venit, vita non discolor acta, 1404
Vltima curarum linea, grata quies.

* His enĩ adhuc noĩbus censentur.
*Põtificiũ ẽ illud maximumq; tota vrbe tẽplũ.
*hoc primũ ãno a tanti prȩsulis busto aliũ in locũ translata concio est.

An-

Annus erat vitæ decies octauus, & illis
Henrici quarti sceptra diebus erant.
Iam testamentum quæris si fecerit vllum?
Fecit, si fuerit quod daret ille? fuit.
Quid fuerit factis reliquum tot sumptibus? ohe
Inueniet nullam pagina nostra fidem.
Et tamen hoc dicam: regales vincere gazas,
Quæ dedit in scriptis vltima dona suis.
Extat opus, Cræsumq; putes scripsisse, vel illum
Cuius facta hæres, Roma superba fuit.
Vel cuius digitis mutatum fertur in aurum,
Quidquid in aurifluas contigit ire manus.
Nec tamen ignauos bona tanta reliquit in vsus,
Successusq; bonus, propositumq; fuit.
Namq; Dioecesin ditauit templa per omnem,
Multaq; cognatis pauperibusq; dedit.
Multa quoq; & regi, nec fidis pauca ministris,
Sed neq; Gymnasiis munera pauca suis.
Hæc sunt ergo viri monumenta perennia tanti,
Cuius, dum vixit, gloria tanta fuit.
Nec dubito, qui sic vixit, sic mortuus idem est,
Quin sit apud superos nobilis vmbra Deos.
Sitq; velim. nam si coelistis clauditur aula
Heroi tanto: cui, precor, illa patet?
Hactenus ire libet. tu maior laudibus istis
Suscipe conatus, Wiccame diue, meos.

Custodum siue Præsidum Collegii, Series.

1 Io. Morisus.

PRimus eras operum Morise inspector, & idem
Qui regeres, Custos tu quoq; primus eras

2 Ro. Thurburnus.

Thurburnus tumulo inscripsit docuitq; minores
Rebus in humanis perpetuum esse nihil.

3 Tho. Chaundlerus.*

Seu Chaundlerus erat, seu custos ordine primus,
Durus ab inductis dicitur esse libris.

4 Io. Bakerus.*

Si laus est, inuenta quidem, Custode Bakero,
Ex quadripartito vimine flagra ferunt.

5 Mi. Cleuus.

Custodum Cleuus canones, ciuilia Stempus
Iura habuit, reliqui nil nisi iura Dei.

6 Io. Redus.

Cedis Rede loco, vt succedat Barnachus. huc te
Foxius, & vitæ spes melioris agit.

7 Rod. Barnachus.

Eijcit intrusum te, Barnache, turba rebellis
Oxonij, electum te tua Venta capit.

Ed. Mo

*Th. Chaūdler' Lectionū a coena repetitiones īstituisse creditur, quas Wiccamici materna lingua libros dicunt..

*Io. Baker' certum gen' virgarū excogitauit, quibus etiānum cæduntur Wiccā.

Ed. Morus.

8 *Ordinis & morum colimus te, More, magistrum:*
Tu vere Custos, quàm fuit ullus, eras.

Io. Whitus.

9 *Custodum primus, quos mitra pedumq; beauit,* Io. Whitus postea epus Winton.
Informatorum, White, secundus eras.

Io. Boxollus.

10 *Qui fueras Custos, dein custoditus in arce es:*
Nec, Boxolle, tua hac sola ruina fuit.

Tho. Stempus.

11 *Stempe, precor longum viuas, neq; carmina plura*
Scribendi posthac causa sit ulla mihi.

Anni Regum	Didascalorum eiusdē Collegij omnium, Elenchus	Anni Chrī
Ric. secundi 17	1 **Io. Miltonus.**	1394
	Causa latet, medio docuit non amplius anno *Miltonus, hunc vitæ credo habuisse modum.*	
18	2 **Tho. Rumseius.**	1395
	Et viuum, & vita functum te, Wiccame, nouit *Rumseius, foelix ergo miserq; fuit.*	
Henr. 4. 8	3 **Io. Polus.**	1407
	Rosa licet, Polum tamen aduersaria produnt. *Debetur Blattis gratiā quanta, vide.*	
Henr. 5. 2	4 **Tho. Rumseius, iterum.**	1414
	Aerumnose senex iterum, Rumseie, redisti? *Saltem hic ærumnis debuit esse modus.*	
6	5 **Ric. Darceus.**	1418
	Sex annos docuit Darceus, facturus idipsum *Plures, per morbum si licuisset, erat.*	
Henr. 6. 2	6 **Tho. Alwinus.**	1424
†Fuit is ep̄s Winton. & fundator collegij Magdal. Oxon. 8	*Protinus Alwino concessa est summa potestas,* *Nomen adhuc remanet, cætera tempus habet.*	
	7 **† Gu. VVainfletus**	1430
	Par fundatori factis, VVainflete, locoq; *Cur arctant titulos disticha nostra tuos?*	

Tho. Alwi-

Anni Chri			Anni Regum
1442	8	**Tho. Alwinus, iterum**	20
		Ergo resorberi tam dira, Alwine, Charybdi, *Nec poteras fracto liber abire iugo?*	
1445	9	**Guliel. Iuo.**	23
		Forsan Iuo fuerat socij cognatus Iuonis, *Cætera sunt Musæ non bene nota meæ.*	
1454	10	**Io. Bernardus.**	32
		Nostra suis regem, Bernarde, altaria donis *Vidisti ad multos accumulare dies.*	
1460	11	**Io. Grenus.**	38
		Centum anni dirimunt curas, Grenique, measque: *Nec quidquam vlterius, quod memoretur, habet.*	
1464	12	**Clemens Smithus.**	Edwar. 4.
		Si Clemens fueras, debebas longior esse: *Turpe per æstates non docuisse duas.*	4
1466	13	**Ric. Dænus.**	6
		Te tumulus fecit bene notum, Dane, tuumque *Nunc pueri calcant, quod timuere caput.*	
1484	14	**Io. Redus**	Ric. 3.
		Principis Arthuri tutelam Redus habebat, *Qui tandem hic custos Oxoniique fuit.*	2
1490	15	**Ro. Festhamus**	Henr. 7
		Festhame, festiuo liceat mihi ludere versu: *An tua erant pueris dulcia festa tuis?*	5

Gu. Her-

Anni Regum			Anni Chri
10	16	**Gu. Hermannus** *Egregia Hermanni quis non vulgaria nouit?* *Ille hic, Aetonæ postmodo terror erat.*	1495
17	17	**Gu. Farlingtonus.** *Farlingtone, tuum pueri optauere recessum* *More suo, at Moro poenituere suo.*	1502
23	18	**Ed. Morus** *Qui legit hic Morum, qui non & sensit eundem,* *Gaudeat, ac secum molliter esse putet.*	1508
Henr. 8	19	**Tho. Erlsmannus.** *Pædonomus, mercator erat, tandemq; sacerdos,* *Hinc est, Erlsmanni plena quòd arca fuit.*	1517
17	20	**Io. Twichinerus.** *Grammaticen, Twichinere, licet docuisse feraris,* *Summa tamen studij pagina sacra fuit.*	1526
22	21	**Ric. Twichinerus.** *Te tua posteritas pro miti laudat & æquo.* *Inuideo famæ iam, Twichinere, tuæ.*	1531
26	22	**Io. VVhitus.** *Me puero custos, ludi paulo ante magister* *Whitus, & hac demum præsul in vrbe fuit.*	1535
33	23	**Tho. Bailiuus.** *Quàm bene nũc audis, Bailiue, parum audio de te:* *Certe olim audieras (audieramq;) bene.*	1542

Anni Chri | 24 Gu. Eueredus | Anni Regum

1546 *Qui fueras, Euerede, meo sensi ipse periculo:* Edw. 6.
Ignosco, an faciet sic, mea turba, mihi? 1

1552 25 Tho. Hidus 6

Tu quoq; Praeceptor quondam meus, Hide, latentis
E re nomen habes. Numinis istud opus.

1560 26 C. Ionsonus de seipso. Reginæ Elyzab.

Vltimus hic ego sum, sed quàm bene, q̃ male, nolo 2
Dicere, qui de me iudicet, alter erit.

De eodem alij quatuor insequētia disticha scripserunt, quę diuersissimis quanquam in locis facta essent, neq; ipsorum auctores σκοπον hunc sibi ante oculos certo scio proponerēt, συγκρωτεῖν diuinitus tamen videntur, ac singulas illius distichi quod ipse de seipso scriberet, particulas explicare.

Vltimus hic ego sum,
Vltimus es ratione loci, re primus Iōnson:
Quod tu cunctaris dicere, fama refert.
sed quàm bene quàm malè &c.
Tam bene quàm quisquàm se gesserit ante priorum:
Tam malè posteritas, vt tua peius agat.
Qui de me iudicet,
Iudicium de te quisquis facit, hoc facit: optat,
Si docet, exemplo posse docere tuo.
alter erit.
Alter erit, scribis, qui de te iudicet, ille,
Si bene te nouit, Ionsone, tutus eris.

FINIS.